



1. Olearij. Gottfr. / diff. de morte et vita  
fidelium cum Christo, Lipsiæ 1710.
2. Olearij. Joh. / diff. de correptione  
concionatoria, Lipsiæ 1689.
3. ——— / diff. de lacrimis Christi sub  
ingressum Hierosolymorum fufis,  
Lipsiæ 1683.
4. ——— / diff. de resurrectione spiritua,  
Lipsiæ 1698.
5. Oporini. Joach. / programma de demon-  
stratione spiritus ac virtutis,  
Göttingæ 1738.
6. ——— / diff. de usu doct. simplicis,  
fatis contra scepticos, Göttingæ 1739.
7. Ortlob. Joh. Christoph. / diff. de samue,  
a judice et propheta non pontifice,  
aut sacerdote sacrificante, Lipsiæ  
1719.
8. ——— / diff. de pacto Davidis et Abneri  
contra Jabegetum, illicito, Lipsiæ 1709.

9. Scianori s. Joh. Adam / Schedia, ma quo  
authenticam clausula orationis dominice  
rationibus asseritur, Tubinga
- 10 Overkamp s. Georgij Wilh. / diff. de signi-  
ficatione verborum quibus induratio  
pharaonis in Historia Mosaiica expri-  
mitur, iene 1736.
- 11 Pfaff s. Christoph. Matth. / diff. de  
moderatione theologica, Tubinga  
1726.
12. — diff. de Characterē indelebili  
quem Ecclesia Romana per Baptismum  
confirmationem et oronem imprimi  
statuit, Tubinga 1734.
13. — diff. de raptu Henochi et Elie  
in Coelum, Tubinga 1734.
14. — diff. de multis vocatis  
paucis Electis, Tubinga 1737.
15. — diff. de falsitate sacrificij  
missatici, cultus Angelorum  
sanctorum et reliquiarum reliquij,  
Tubinga 1714.
16. — diff. de gloria dicina,  
Tubinga 1733.
17. — diff. de validitate absoluti-  
mi Evangelice, Tubinga 1739.
18. — diff. de fidei Christiane articu-  
lis fundamentalibus, Tubinga 1718.
19. — diff. de Methode theologiam tradendi  
demonstrativa, Tubinga 1736.
20. — diff. de Eucharistia, Tubinga 1718.

21. psaffy / Matth. diff. de Ecclesiae sanguine non sitiente, Tubingae 1740.
22. ——— diff. qua Varignonii demonstratio geometrica possibilitatis transsubstantiationis enervatur, Tubingae 1740.
23. ——— diff. de eo quod iustum est circa reformationem Sacrorum, Tubingae 1739.
24. psaffy / Joh. Gyllaze quaestionum theologicarum, Tubingae 1710.
25. psaffy / Joh. Christoph. diff. de Divina Christi potentia, Tubingae 1715.
26. ——— diff. de fide patrum, antediluvianorum, Tubingae 1716.
27. ——— diff. de Lege Divina, Tubingae 1702.
28. ——— diff. de omni Scientia Dei, Tubingae 1718.
29. a pettyen s. pauli Gröngers diff. de orculo Sancto, 1738.
30. psaltzgraw s. Reinh. Ludov. diff. de indifferentismo religionum explodendo, Hübli 1718.
31. psfeifferi s. Joach. Ehr. diff. afferens Divino ductor Spiritu, Deo esse filios, Jena 1738.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

MORTE ET VITA  
FIDELIVM CVM  
CHRISTO,

EX EP. AD COLOSS. III, 3. 4.



QUAM

SVB PRAESIDIO

DN. GOTTOFREDI OLEARII,  
SS. THEOL. DOCT. ET P. P.

AD D. IV. NOVEMBR. A.R.S. c1513ccx.

IN AUDITORIO PAVLINO

PUBLICO EXAMINI EXPONET

RESPONDENS

HIERONYMVS FRIDERICVS KOLTEMANN,

LVNAEBV RGENSIS.

---

LIPSIÆ, Recus. c1513ccxxiii.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

MORTE ET VITA  
FIDELIUM CUM

CHRISTO

EX EP. AD COLOSS. III. 24.



DE

SVB PRAESIDIO

DN. GOTTFRIDI OLEARIJ

THEOL. DOCT. ET P.

AD D. IN NORMAR. A.R.S. CLASSE.

IN AUDITORIO PAVLINO

PUBLICO EXAMINI EXPOSET

RESPONDENS

HIERONYMVS FRIDERICVS KOLTMANN

LYNAEVS GENSI

1787



COLOSS. III, 3. 4.

Ἀπεθάνετε γὰρ, καὶ ἡ ζωὴ ὑμῶν κέκευται σὺν  
τῷ χριστῷ ἐν τῷ θεῷ. Ὅταν ὁ χριστὸς φανερωθῆ,  
ἡ ζωὴ ὑμῶν, τότε καὶ ὑμεῖς σὺν αὐτῷ  
φανερωθήσεσθε ἐν δόξῃ.

I.

**D**E MORTE & VITA *fidelium*, hacque *occulta* Contextus &  
& *manifestanda*, ex sententia Pauli acturi, bre-  
scopus.  
vem eius explicationem praemittendam esse  
existimauimus. Vel ipsa autem particula γὰρ,  
in limine textus propositi se sistens, demon-  
strat, arctissimo nexu eam cum praecedenti-  
bus coniungi. Rationem nempe textus ille, & argumentum,  
continet hortationis, antea propositae, v. 1. τὰ ἀνω ζητεῖτε su-  
perna quaerite, & mox v. 2. repetitae, τὰ ἀνω φρονεῖτε, μὴ τὰ ἐπι-  
τῆς γῆς. *superna quaerite non terrestria*: quibus proximo  
loco subiiciuntur meditationi nostrae proposita verba, vim  
argumenti habentia, quo Apostolus persuadere Colossensibus  
studet, ut neglectis terrenis coelestia respiciant. Facile au-  
tem B. Seb. Schmidio concedimus, hanc ipsam hortationem

A 2

ha-

habere indolem conclusionis, ex praecedente Apostoli tractatione deductae, quae opponatur obseruationi decretorum hominum, & elementorum mundi. Id enim tum particula inferendi *ἐν* suadet in v. 1. tum ipsa argumentationis forma: maxime si conferatur cum dictis Apostoli inde a v. 20. capitis praecedentis. Nempe ibi eandem, vt nobis videtur, conclusionem, verbis licet conceptam nonnihil diversis, cum primo argumento, proposuerat: *Ἐὶ ἐν ἀπειθαυεῖ, σὺν τῷ Χριστῷ ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου, τί ὡς ζῶντας ἐν κόσμῳ δογματίζεσθε;* Propositio est, *non amplius decreta hominum & elementa mundi sequi, & ab illorum autoritate pendere debere Colossenses, hoc enim est δογματίζεσθαι.* Ratio propositionem firmans petitur a morte nostra cum Christo. Vnde argumentatio nascitur, *qui mortui sunt cum Christo mundanis rebus, illi vivere mundo, atque vt viuunt δογματίζεσθαι rebus mundanis, quales sunt decreta illa hominum, & elementa mundi, non possunt.* Eandem igitur rem in tertii capitis initiis profequi pergit, *secundo* argumento proposito, & *resurrectione* cum Christo petito, atq; thesi, quoad sensum eandem, proposita, verbis argumentationi accommodatis. Nempe inquit, *quicumque cum Christo resurrexerit, ad aliam plane vitam ab ea, qua mundanis illis rebus viuunt, longe dissidentem, illis etiam quaerenda illa, quae ad vitam eam supernam pertinent, in qua Christus degit, elatus ad dextram patris.* Cuius vitae, contrariam sibi vitam terrenam excludentis, conceptus, propositionem parit, antea propositam, sc. Colossenses *ὡς ζῶντας ἐν κόσμῳ δογματίζεσθαι* amplius haut posse. Quae res ut magis liquida fiat, vtrumque contrariorum statim coniungit: *Superna curate, vitam illam, ad quam cum Christo suscitati estis, viuite, non vero terrena illa, decreta hominum, & elementa mundi, respicite.* Et quemadmodum *thesin* proposuit, *superna spectate*, atque in illis viuite, cum *antithesi*: *non terrena*: ita quoque argumentum vtrumque, quorum prius cap. II, 20. *antithesi* feriebat, alterum cap. III, 1. *thesin* mu-



niebat, coniungit: Prius verbis ἀπεθάνει γὰρ mortui enim estis, alterum illis ἡμεῖς ἔσμεν ζῶντες κινεσόμεθα h. e. ad vitam illam restituti estis mysticam, atq; in Christo occultam. Quam, ne quidpiam hic offensae esse, vel scrupulos mouere possit, dilucidius in sequentibus delineat: tum praesentem eius vitae conditionem, tum expectandam posthac eius faciem plenius interpretatus.

II. Propius istis, vt conferentibus patebit, ad B. Hunnii de contextu sententiam accedimus. Neque, quo minus id faceremus, deterrendos nos esse existimauius B. Seb. Schmidii autoritate. Sane enim collatio commatis 19. cap. II. & commatis I. cap. I. cum verbis textus nostri, in adeo clara luce rem constituere videntur, vt dubio vix locum relinquere videatur. Neque video, cur B. viro incommodum videatur repeti argumentum prius. Quid enim frequentius, & rationi conuenientius, quam vt argumenta, distincte antea proposita, coniunctim repetantur, & fortius vrgantur? Quod nemo certe vt ταυτολογία facile accusauerit, idque eo minus, quod antea dictis hic noua quaedam addantur, antea non explicata. Quod vero B. Theologus ait: Imo nequidem prius argumentum videtur dici posse, cum in antecedentibus Apostolus expresse distinxerit mortem, seu sepulturam, & resurrectionem fidelium; id quo spectare possit, satis non assequor. Repetitio sane fit argumenti non vnus, sed vtiusque, distincte antea ab Apostolo propositi. Contra, quod pace manium ejusdixerim, quos qua decet veneratione prosequor, paulo durius mihi videtur, ex simplici oratione periodicam facere, & plane neglecta particula γὰρ, particulam quamuis textui inferre, & quod antea tanquam argumentum Apostolus proposuerat c. II. v. 20. hortationis suae, nunc tanquam obiectionem repraesentare, quae omnia admissa sunt summo viro, dum ita nexum orationis Apostoli exponit: *si consurrexistis cum Christo, superna quaerite, superna sapite non terrena. Idque eo magis & diligentius, quia licet mortui sitis cum Christo, & vita vestra nunc cum Christo sit abscondita, ta-*

19. cap. II.

Confirmatio de contextu dicta.

19. cap. II.

19. cap. II.

men quando Christus manifestabitur, vita vestra, manifestabitur  
& vos in gloria, haec itaque futura gloria in vobis manifestanda,  
moueat vos, vt superna quaeratis & sapiatis.

III. Hinc iam expeditissimum esse videtur textum mem-  
bris suis, prout decet, diuinum penitus excutere. Nempe &  
mortem nobis sistit & vitam fidelium, tanquam argumentum,  
nuntium mittendi decretis illis humanis, & elementis mundi,  
contra quae per maiorem epistolae partem disputauerat. Vi-  
tam vero illam fidelium nobis delineat, tum in respectu ad  
conditionem eius praesentem, tum in respectu ad futuram, pau-  
lo post nobis expectandam.

IV. Mortem primo quod attinet fidelium, vnica voce  
ἀπεθάνετε mortui estis eam Apostolus indicat. Vox au-  
tem ista simul & subiectum complectitur, ad quod illa referun-  
tur: & ipsam rem ad illud relata: & temporis circumstantiam.  
Subiectum quidem haec secunda verbi persona, & in sequentibus,  
pronominiibus, nec non altero verbo eiusdem personae, indica-  
tum, non est cur diu nos moretur. Scribere Apostolum ad  
Colossenses manifestum est, non secundum statum atque vitae  
conditionem singularem, & quae in alios non cadat, inspectos,  
sed quatenus sunt ἀγιοι, πιστοι & ἀδελφοι, fratres sancti atque fi-  
deles: vt, quod ipsis est dictum, omnes Christi discipuli sibi di-  
ctum esse existimare possint ἀπεθάνετε. Quenam vero res sit,  
quod mortis genus, verbo isto ἀπεθάνετε significatum, peniti-  
us rimandum. Grammatica quidem significatione sua vocem pri-  
uationem vitae notare, vel tyronibus notum est. Cum vero  
vitae non vnum sit genus, cuius vitae hic intelligenda veniat  
priuatio, inuestigandum. Optime autem nos sensum Apo-  
stoli assecuturos confidimus, si ipsum interpretem Apostolum  
audiamus, eiusque vestigia sublegamus. Mors igitur haut du-  
bie haec intelligitur, quam morimur cum Christo, vt cap. praeced.  
v. 20. Apostolus eam explicauerat. Mors inquam ea, quae no-  
bis tribuitur ex communionem cum Christo: communionem enim il-  
latam

Analysis] Tex-  
tus,

ἀπεθάνετε.

Col. 1, 1.

la in respicit particula *ET* cum, mortui estis CVM Christo. Mors intelligitur, qua mortui *συντάφηνοντες* in Christo sepulti cum Christo sumus in baptismo. Mortui igitur cum Christo intelligimur, dum *venimus* in communionem mortis & passionum eius, in quam communionem primario & principaliter venimus, per applicationem fidei, qua, sicuti Christus ipse nobis applicatur ad hoc vt fiat *noſter*, ita omnia eius, adeoque mors ipsius, fit *noſtra mors*, nosque adeo CVM eo *morimur*. Quemadmodum vero morte sua Christus ipsi legi ceremoniali, *τοῖς στοιχείοις τῆ νόμου*, mortuus est, dum eam quoque plene impleuit & consummavit, vt nihil posthac ei legi in Christum iuris sit, neque amplius ei *vivere* teneatur: Ita hac morte Christi abrogata est lex ceremonialium, deletum est *τὸ κατ' ἡμῶν χειρόγραφον τὸ ἐν δόγματι*, nosque, *mortis* eius participes, dehinc non amplius viuimus illi legi, ab ea *δογματιζέσμενοι*, qui proximus est Apostoli scopus, ad quem tota haec oratio venit referenda: explicationem *mortis noſtrae* ita confirmans, vt nullum de ea dubium superesse posse videatur. Quemadmodum vero alias cum Christo nos *mori*, eo quoque *mortis* genere, quo mundo & peccatis *morimur*, minime est negandum; ita hoc loco id quidem immediate non spectari, clarissime scopum Apostoli & nexum argumentationis proderet confidimus. Neque tamen proflus etiam id excluditur: cum is, qui in communionem Christi mortis venerit per *imputationem*, ille quoque in sanctificatione *morietur*, vt aliis rebus mundanis, ita etiam *bonis* veteris illius legis atque fiduciae in eis. Quod, vt scopo Apostoli maxime est consentaneum; ita agnoscit B. Calovius ad h. l. *Temporis* denique quod attinet circumstantiam, e quidem *mortui estis*, significatu praeteriti fere interpretes vertunt. Sed non plane nullam tamen *aeoristi* emphasin in Graeca voce esse ego existimem. Nempe cum *moriamur* cum Christo, dum participes enadimus *mortis* eius, ex applicatione illius quam fides praestat, & *imitatione* in renouatione; & vero non *transitorii*, vt ita loquar, illi

Coloss. II. 14.

DE MORTE ET VITA

illi sint actus, sed indies continuentur. hinc Apostolus non sine consilio verbum in forma *ἀόριστος* adhibuisse existimem: qui, dum certum & determinatum tempus haut fuit, tum sere adhiberi solet. vbi continuatio rei de praeterito per praesens ad futurum significanda venit. Similiter Euangelista Matthaeus *ἀ. τι τελευτήσασα* dicit virginem, quae in *agnie* constituta dicitur. Marco, quam in rem alibi a Rev. Praefide nobis disputata videri possunt.

Disput. ad  
Matth. 12. 28.  
6. 4. v.

ὅτι ἡ ζωὴ  
ἐμνή.

V. Satis de MORTE nostra, iam ad *ζωὴν*, vitam, deveniendum, quam tribuit Colossensibus Apostolus. *Vitam* autem quidem in Philosophorum scholi dupliciter accipi videas, vel scilicet pro *actu primo*, ut quidem illi loquuntur, vel pro *actu secundo*. Priori sensu *vita* nihil aliud significat, quam facultates vitales, per quas actus, qui vitam in *actu secundo* absoluunt, eientur. Quorum utrumque heic voce *vita* complecti, cum nihil occurrat, quod eius amplitudinem restringere cogat, non dubitem. Quae vita autem hic intelligenda veniat, non adeo consentiunt interpretes. B. Seb. Schmidius putat *vitam spiritualem* in hac *vita fidelium intelligendam esse*, quam ante eum ex nostris B. Balduinus quoque sententiam amplexus videtur. Contraria ratione Ioannes Coccejus vitam intelligere videtur futurae gloriae. Vitam enim nostram *occultam* dicit ait in Deo, *hoc est in decreto eius & amore Dei contineri*, qui suo tempore manifestum sit facturus, *ad quid dilexerit nos in Christo*: quamvis fatendum in praecedentibus eundem videri ad vitam gratiae magis respicere. Coniungit utrumque Estius, *vitam* scilicet Christianorum *spiritualem & coelestem*, & ex nostris B. Hunnius *Vita*, inquit, *Christianorum nec spiritalis, multo minus aeterna oculis hominum est exposita* Longius etiam procedens Crocius *vitam naturae gratiae & gloriae esse in fidelibus absconditam dicit*. Ego quidem, si mihi sententiam in tantorum nominum dissensu interponere liceat, *vitam spiritualem & aeternam*, in quantum *vita* aeterna beatitudinem significat, a Christo nobis acquisitam, heic separandam non esse existimem. Neque enim *vita* Spirituality in hac vita

*vita* illa beata alia ratione differt, quam id quod inchoatur ab eo, quod consummatum est. Beatique sumus etiam *vita* ista spirituali, qua nunc fruimur, continuanda & consummanda in altero seculo, pluribus, quibus iam caremus, beatitudinis non gradibus tantum, sed & partibus, accessuris: vt pluribus haut ita pridem & Scripturae, & probatissimorum Theologorum locis demonstratum fuit a celeberrimo Hafnienfium Theologo, Francisco Iulio Lutkens, in peculiari schediasmate ea de re publice luci exposito.

VI. Haec *vita* nostra, quantum ad *statum praesentem* attinet, *occulta est*. Vnde fere *κεκρυπται ἡ κτήνη ζωὴ τοῦ κόσμου τούτου, ἡ δὲ ἀσὶν ἔστιν ἡ κτήνη ζωὴ τοῦ κόσμου τούτου*, *Iudeus in occulto* dicitur ille, qui *vita ista* spirituali atque *occulta* viuit, eiusdemque bonis, tanquam pars seminis Abrahami, fruitur. Scilicet *vita ista* est *vita* in regno Christi, quemadmodum, in catechesi Ecclesiarum nostrarum, redemptos nos a Christo fatemur, vt in *regno eius sub ipso viuamus*. Sicut vero regnum Christi *non est de hoc mundo*, neque adeo in mundo se praebet oculis conspiciendum, quippe quod *μετὰ παρατηρήσεως, ita vt obseruetur* (vt eleganter Seb. Castellio vertit) non veniat; ita neque *vita* eorum, qui rem in illo regno gerunt, hac seculi conditione palam innotescere, ex mente Apostoli, omnibus potest.

VII. Hinc iam aliquo modo intelligitur, quid sibi velit, quod *occulta* *σὺν χριστῷ*, cum Christo esse dicatur. Nempe ipsum Caput, & Princeps Ecclesiae suae, quae est coetus fidelium, Christus, suo modo adhuc *κεκρυπται*, quod vel ex phrasi patet, qua *manifestandus* demum esse in rerum omnium consummatione dicitur. Sic in ipsis textus nostri verbis, paulo post excutiendis, de tempore agitur *ὅταν ὁ χριστὸς φανερωθῆ*, quo Christus sit *manifestandus*. Similiter *manifestationis magni Pastoris* mentionem Apostolus Petrus facit, & *ἐπιφάνεια* passim vocatur, quod instat tempus *manifestationis* eius: *manifestari* vero & in *lucem prodire* dici nequit, quod suo modo *κρυπτόν* non est atque *occultum*. Sicque adeo *occulta* *vita* nostra cum Christo dicitur, qui scilicet & ipse suo modo

B

05C116

occultus sit, *vitamq;* fidelium, ab eius, ceu capitis membrorum, & vitis palmitum suorum, influxu pendentem, *occultum* teneat.

VIII. Occulta autem ita haec vita nostra dicitur cum Christo *in Deo*. Quod Ioannes Cocceius, eumq; , vti videtur, secutus Hermannus Witfius, accipiunt, de *decreto Dei, & amore eius, quo haec vita nostra contineantur*. Apud Benedict. Iustinianum interpretatio est, qua *in Deo*, h. e. *potentia Dei*, abscondita vita nostra esse intelligatur, qua scilicet ad beatam gloriam in futuro seculo firmus restituendi. Sed praestiterit forte interpretationem inuenire, si fieri id possit, qua nihil de nostro suppleamus. B. Seb. Schmiddius noster eo referre videtur, quod *Deus* etiam occultus sit, ut adeo in eo, atq; cum eo, Christus etiam, & membra Christi, cum vita sua abscondita deliteant. Mihi verosimillimum videtur, ista ad *vitae* fidelium, occultae licet, *realitatem* spectare. Nempe, cum occulta sit illa vita eorum, neque appareat vsquam, plane non esse, neque alibi quam in cerebro hominum atrabiliarium existere, mundo videri poterat. Apostolus igitur eam antevertens cogitationem, *in Deo* esse hanc vitam ait, hoc est, *apud Deum*, coram quo conspicua sit *vita gratiae*, in *vita gloriae* desitura atque in ea consummanda. Sane huc ex veteribus ex parte collineavit Anselmus, qui *in Deo* interpretatur *intus apud Deum*, & Gregorius Magnus, ad locum istum Apostoli respiciens, *intus ante Dei faciem fideles sese abscondere dicit*. Scilicet *coram Deo*, solenni inscriptis V. T. formula fideles *ambulant*, adeoque apud ipsum, *in occulta despicentem*, occultant. In eo tantum est scrupulus, an eam explicationem ferre particula *in* possit. Possit ego quidem existimem, exempla eius vsus non obscura ipso suppeditante Apostolo. Neque enim alium sensum eam particulam habere potest, quando Apostolus, in priori epistola ad Corinthios, *sibi quidem, vel apud se, vel coram se*, peregrinas linguas non intelligentem, barbarum fore ait, qui iis loquatur: ο λαλῶν, EN EMOI βαρβαρος. Neque in phrasi minime rara εν προσώπω eius particulae alia vis esse potest, quam ut vel *apud* notet, vel *coram*. Frequen-

*in Deo*  
Witf. oecon.  
L. III. c. 13.  
§. 33.

L. V. Mor. c. v.

1. Cor. XIV, II.

2. Cor. II, 10.  
v. 12.

quentissima item phrasis ἐν ὑμῖν v. g. τὸ μυστήριον χριστῶ ἐβεβαλώθη ἐν  
 ὑμῖν arcanum Iesu Christi confirmatum est apud vos vel inter vos, r. Cor. I. 6. ad-  
 dev. Io. II. II. 2. v. I. VI. 5. &c.  
 vel coram vobis. Eodem spectat, quando Apostolus ait se loqui sapi-  
 entiam Dei ἐν τοῖς τελείοις apud perfectos. Nempe significatum il-  
 lum particula ἐν trahit apud scriptores, Hebraeorum loquendi  
 morem Graeco sermone exprimentes, ex vsu Hebraicae particulae  
 ׀, in cuius propriis & primariis ille est Quam frequenter vero om-  
 ni significatu suo graeca particul. ἐν ei respondeat, notum est  
 his, qui vel obiter versionem Septuaginta Senum inspexerunt.

IX. Ad alterum statum vitae fidelium, dehinc expectan-  
 dum, pertinent reliqua textus nostri verba, commate 4 com-  
 prehensa: cuius membro priore principium & causa, atque adeo  
 initia etiam, & tempus, eius status nobis sistuntur. Scilicet tum  
 demum ille expectandus, vbi Christus manifestatus fuerit  
 ὅταν ὁ χριστὸς φανερωθῆ. Hic, quantum ad nexum attinet, ob-  
 seruamus, codices quosdam Latinos nexum causae, vel rationis,  
 hic agnoscere, interposita particula enim, hoc modo: quando  
 enim Christus manifestabitur. Sed merito cum nexum repu-  
 diant Estius, Beatus Seb. Schmidius noster, atque alii, inque  
 orationem aduersatiuam haec verba vertunt. Quae sententia  
 non tantum Lutheri nostri firmatur suffragio, wenn aber Chris-  
 tus &c. sed etiam antiquae Ecclesiae. Particulam enim aduer-  
 santem autem in Codicibus Africanis lectam fuisse ex Cypriano  
 discimus. Imo & Scholiafles, allegatus Hieronymo, eandem  
 particulam margini alleuit. Neque male a Cl<sup>o</sup> Millio Syri huc  
 tracta versio fuit. Quamuis enim ipsam illam versionem inspi-  
 cientibus, nihil aliud quam particula *Vau* occurrat, quae copu-  
 lativum plerumque sensum habet  $\text{ו} \text{כִּי} \text{ו}$  καὶ ὅταν; recte ta-  
 men illud pro aduersatiua particula, cuius vim frequentissime sus-  
 tinet, accepit & Latinus versionis Syriacae interpret, &, qui  
 eum consuluit, vir laudatus. Nempe status statui hic oppo-  
 nitur: vitae, cum Christo in Deo absconditae, vita cum eodem

L. III. Testim.  
 ad Quirin.  
 c. II.

dem Christo manifestanda, adeoque merito sensus *aduersarius* hic est praefendus. *Manifestatio* autem Christi ante quidem facta intelligi non potest, *quae patefactus est ut opera Diaboli destrueret*, quippe ad hoc ipsum *in carne manifestatus*. Neque manifestatio Christi intelligitur, *per verbum & eius praedicacionem*: vel etiam *patefactio post resurrectionem*, ea enim vel praeterita vel praesentia tum erant. Apostolum autem de re futura post hac loqui est manifestum. Haut dubie igitur hic intelligitur *gloriosa Christi manifestatio*, quae nobis secundum eius praedictiones, & spem omnium seculorum venit expectanda. Bene Hunnius noster rem explicat: *Quando Christus manifestatus fuerit, nimirum in regno & apparitione sua.*

X. Antequam vero ad manifestationem vitae nostrae, hucusque occultae, progrediatur, *rationem inserit nexus*, quem habet cum manifestatione Christi. Nempe in eo illa quaerenda est, quod Christus sit *ζωή ημών* VITA NOSTRA vel, ut Codices quidam, & versiones, inque iis Lutherana, habent, *vestra*. Quarum lectionum, cum Paulus loquatur cum Colossensibus, cum quibus sibi intercedit communio, vtram sequaris, non adeo multum interesse, iam pridem recte viri eruditi iudicarunt. Nempe inquit: *quando Christus VITA nostra manifestabitur, tunc & vos cum ipso gloriose manifestabimini*. Scilicet, si ipse sit *vita nostra*, non fieri non possit, *ut cum ipso, vita nostra non manifestetur*. *Vita* autem hic Christus dicitur *nostra*, ex frequentissimo ipsius Christi & discipulorum suorum usu. Sic enim ipsum se ille *resurrectionem & vitam* appellat, & alio loco *rursus viam, veritatem, & vitam*. Eodem pertinet quod Paulus ait, *vinere se, non amplius tamen ipsum, sed Christum in se vivere*. *Ἐγὼ δὲ ἰν' ἐμοὶ ζωὴς*, quod quid aliud est quam *Christum esse vitam suam*? quemadmodum & sibi *τὸ ζῆν ζωὴν* h. e. *vitam Christum esse dicit*. Pariterque *θεοφωτός* ille & *ζωοφόρος* Ignatius *ζωὴν τὸ ἀληθινὸν ἡμῶν ζῆν* Christum vitam nostram ve-



ram appellauit. Quemadmodum autem multis nominibus Christus est *vita* nostra, ita multis nominibus quoque cum ipſo *vita* nostra intelligitur eſſe manifeſtanda, illius tamen rei plenior deductio, atque planior, parti doctrinali fortassis melius referuabitur. Hic generatim obſeruamus, Christum *vitam* noſtram eſſe iure *νομινας*, qua ipſi tanquam membra capiti ſuo iungimur, vt adeo, quicquid eſt vitæ in nobis, ab eius influxu excitari in nobis debeat. Vnde quousque capitis influentis vis influens *uiuifica* occulta eſt, occultam quoque *vitam* inde pendentem in nobis eſſe manifeſtum erit: ſimulac vero *vita* illa originalis & primigenia, vt ita loquar, manifeſtabitur, noſtram quoque *vitam* in lucem quaſi protrahi erit neceſſe.

XI. Eo vero iam ſpectant poſtrematextus noſtri verba: *τότε καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ὁμοῦ λόγου* *Φανερωθήσεται ἐν δόξῃ*. Vbi rursus *tempo- uis* *ordo* & *ratio* primum indicatur particula *τότε*, quæ reſpondet *τῷ τῷ ὅταν* in priori membro: *tum* nempe cum Christus *vita* noſtra manifeſtata fuerit, non antea, nos quoque manifeſtandi ſumus. Ipſe enim tanquam *primogenitus* fratrum antecedere nos, poſt genitos, in illa manifeſtatione debet: Ipſum quippe, qui ſit *primitiæ*, & totam meſſem ſanctificat, heic quoque *primas* obtinere oportet. Tum vero *principium* illius manifeſtationis nexusque eius cum eo denuo attingitur, nempe *ὁμοῦ λόγου*, cum ipſo, quippe qui ſit *vita* noſtra, manifeſtabimur. *Res* ipſa vero voce in hoc negotio ſoleni exprimitur, *Φανερωθήσεται* *manifeſtabimini*. Haec *manifeſtatio* eſt, quam Ioannes quoque oſtendit: *Chariffimi*, i. Ioh. III, 8: *nunc filii Dei ſumus*, viuentes *vita* illa ſpirituale, & bonis eius fru- entes & *nondum apparuit* (*ἔτι οὐκ ἐφανερώθη*) *quiderimus*, occulta adhuc eſt illa *vita* filiorum Dei cum Christo in Deo. *Scimus quoniam* cum apparuerit (*ὅτε ἐὰν φανερωθῇ*) *ſimiles ei erimus*. Magnū autem quid & minime expectatum hoc verbum ſignificare, merito obſeruat Benedictus Iuſtinianus. Sane enim de manifeſtationibus *Dei glorioſis* in ſcriptis V. T. tam ſæpe occurrit, vt ea allegare, omnibus notiffima, nihil opus eſſe exiſtinem. Vt ma-

ior tamen expressionis sit ἔμφαντος, additur ἐν δόξῃ, manifestabimini *in* vel *cum* gloria. Cuius additamenti singularem vim ad describendam indolem huius manifestationis esse, plane mihi persuadeo. Nempe δόξα, in scriptis Noui testamenti, significat ipsam gloriosam Dei manifestationem, quae כְּבוֹדָא vocatur Hebraeis; qua Deus scilicet, luce gloriae quasi indutus, & in ea, velut in *tabernaculo* quodam, se sistens, hominibus quandoque videndum se praebet. Haec, vt alia eius generis plurima taceam, erat δόξα νοεῖς, quae in natalibus Iesu Christi pastores, in agris vigiliis agentes, circumfulsit. Nos itaque manifestandi dicimur cum Christo, vita nostra, IN GLORIA, quoniam scilicet Christus ipse, in communiōe & κοινωνίᾳ cum Patre & Spiritu S. *vita nostra*, in nobis refulgens, plene manifestato summae & divinae maiestatis splendore, ita nos *manifestat*, vt *gloria* (שְׂכִינָה) Dei ex animis nostris, & corporibus, glorificatis, refulgeat. Hinc ciuitatis Dei, coelestis Hierosolymae, quae ex fidelibus triumphantibus tantquam lapidibus viuis exstructa est, aliud lumen non esse dicitur, quam δόξα τῆ θεῶν, & λόγος eius dicitur τὸ ἄγιον, *gloria Dei*, (שְׂכִינָה) & *lychnus agnus*. Eademque *ciuitas*, quae *sponsa agni* etiam vocetur, habere δόξαν θεῶν, hanc ipsam *Schechinam* dicitur. Voxque de ea auditur ex coelo delapsa ἰδὲ ἡ σκηνὴ (en ipsam vocem Hebraicam כְּבוֹדָא & sono & sensu redditam) τῆ θεῶν *μὲτὰ τῶν ἀνθρώπων* *Ecce tabernaculum Dei* (vel *Schechinam*) *cum hominibus*. Sicigitur manifestabimur ἐν δόξῃ tota SS Trinitate in nobis, lumine gloriae ipsius impletis, velut in tabernaculis habitante, atque velut in כְּבוֹדָא apparente. Verum de ipsa *φανερῶσις* nostra, cum ipsius Christi, vitae nostrae, *φανερῶσις* ita coniuncta, satis. Hoc, antequam ἐξηγήσῃ isti finem imponamus, obseruationem aliquam mereri videtur. Commutationem aliquam in oratione Apostoli deprehendi, ex parte *subiecti*, ad quod haec *manifestatio in gloria* referatur. Nam, cum antea *vitam nostram* cum Christo in Deo absconditam esse Apostolus dixisset; videbatur lex antitheseos requirere, vt nunc diceret *vitam nostram* esse manifestandam cum Christo, Apostolus autem, neglecta illa ἀντιθέσεως ἀντιθέσις, dicit

Luc. II, 9.

Apoc. XXI, 23.

Apoc. XXI.  
2, 9, 10.

dicit *nos ipsos* esse cum Christo manifestandos, Quod tamen eodem, vt puto, redit, scilicet vita, & actiones vitales, sunt, quae *Φανερωσιν* nobis praestant, quippe sine quibus in tenebris & obscuritate verseremur. Ideoque perinde est *sive nos*, siue *vitam nostram* manifestandam dicas. Neque tamen sine consilio Spiritui sapientiae, qui per Apostolum est locutus, illam permutationem placuisse, credere par est. Eo itaque illum respexisse non abs re credideris, quod, dum hic agimus, vita & mors quasi in nobis coniuncta sint, ita vt quicquid est nostrum non vita existat, sed ex vita & morte compositum. Quo quidem rerum statu, mortale, quod est in nobis, omnibus *pateat*, facileque vel sensuum iudicio deprehendatur, *lateat*, atque occultum sit, cum Christo in Deo, quod ad vitam pertinet, atque immortalitatem. At alia futura esse indicatur seculurae inde conditionis nostrae ratio. Scilicet oportet *καταπίεσθαι τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς* *morta-* 2. Cor. V, 4.  
*le absorberi a vita*, oportet τὸ Φθαρτὸν τῆτο ἐνδύσασθαι τὴν ἀφθαρ- 1. Cor. XV, 63.  
*σίαν, καὶ τὸ θνητὸν τῆτο ἐνδύσασθαι τὴν ἀθανάσιον*, corruptum hoc induere *in corruptibilitatem*, & mortale hoc induere *immortalitatem*, ita vt TOTI *vita* futuri simus, omni eo, quod mortale est, deposito. Atque ideo *συνανύμεως* iam poni possumus *nos* & *vita* nostra: ut cum antea *vitam* nostram absconditam cum Christo in Deo dixisset Apostolus, nunc omni exuta mortalitate dicere possit, *nos*, qui *toti* simus futuri *vita*, cum Christo *vita* nostra esse manifestandos.

XII. His ita positis sensus integer totius illius sententiae Paulinae, quam hucusque explicauimus, iste emerget. Vos, quoti-  
 quoti Christo nomen serio dedistis, iure communionis mortis eius participes estis, mortui ita cum eo omnibus iis, quibus *vita* priore eratis obnoxii. *Vita* alia vobis est comparata, spiritualis & aeterna; quae, quamuis nunc conspicua sit minus, neque omnium sensibus pateat, eo quod ipse Christus, plena gloriae manifestatione nondum reuelatus, quodammodo adhuc lateat, cum quo proinde coram Deo hanc *vitam* degatis; Erit tamen tempus, id nempe, quo Christus, qui  
*vita*

Paraphrasis  
 sextus.

*vita vestra est, a quo tanquam fonte fluit & capite quicquid in vobis est vitae, in gloria sua plene manifestabitur, quo & vos una cum illo, omni eo, quod in vobis mortale est, absorpto a vita, gloriose manifestabimini, ipsa Dei gloria vos implente & ex vobis gloriose resurgente.*

## CAP. II. DOCTRINALE.

Doctrina hu-  
jus textus,

**I.** Doctrinam ille Apostoli textus & *περὸς* sanctissimae fidei nostrae oppido necessariam, & solatii plenissimam, nobis ficit, de MORTE pariter ac VITA fidelium, qua cum Christo capite suo & viuunt, & moriuntur. Scilicet ea nostra debet esse conditio, vt cum Apostolo dicere valeamus: *Nemo nostrum sibi vivit, & nemo moritur sibi. Sive viuamus enim, Domino vivimus, sive moriamur, Domino morimur. Sive viuamus igitur, sive moriamur, Domini sumus.* Cuius loci eo maior cum nostro deprehenditur conuenientia, quod eo quoque Apostolus contra *δόγματα* hominum, & elementa mundi, dierum inprimis, ciborumque delectum, vbi disputasset; eo argumento vtatur, quod *mortui* simus Domino, non adeo amplius illis rebus *vitae* prioris obnoxii, idque eo minus, quod ad nouam, longe a priori diuersam, vitam sumus resuscitati,

Mortui cum  
Christo quo-  
modo dica-  
mur.

**II.** MORS illa fidelium nobis priori loco venit consideranda, quae cum *Mors* sit, qua *ἀπεθανόμεν σὺν Χριστῷ*, *mortui sumus cum Christo*, intelligitur *mors* esse, quae nobis tribuatur propter *communione* artissimam, qua quidem cum IESU Christo coniungimur, atque ea parte cum *vita nostra*, qua itidem *viuimus* cum Christo, & vitam illam cum eo manifestandam expectamus, pari passu ambulat, prout in ipsa *ἐξωνήσει* eius rei mentionem iam iniecit. *Communio* vero illa Christi cum fidelibus, praesupponit *Unionem cum eo*. *Unio* haec cum Christo nobis in scripturis vario genere expressionum valde *ἐμφανῶν* repraesentatur. Dicitur nempe ille *κατὸν ἡμῶν habitare in cordibus nostris*, dicitur *credentes sibi desponsare*, atque adeo mystico matrimonio cum sponsa sua Ecclesia coalescere.

Eph. III, 17.

Of. II, 19. 20.

Eph. V. 31. 32

Eph. I, 22. 23.

lescere. Vicisum fideles ipsi veluti *membra capiti* coniungi affirmantur, & veluti *palmitis viti* inseri, ipsique veluti *agglutinari*. Importat vero haec ipsa *Vnio* Christi cum suis, vt cum B. Quenstedio maxime loquar, *approximationem gratiosam*. quae tamen praesentiam substantialem praesupponat atque includat. Neque opus esse putem disputatione, an haec vnio fiat per *maiolem approximationem substantiae*, an per *novam rationem influxus*. Cum, qui per *maiolem approximationem substantiae* eam exponunt, non existiment, ante vnionem substantiarum distantiam esse admittendam, illamque suam maiolem substantiae approximationem, *ex modo* praesentiam *duerso* tantum explicent: Illi contra, qui vnionem illam fieri dicunt per *novum gratiae influxum*, tamen *substantialem praesentiam* includant, eamque in *vnione* vt certa ratione *modificatam* considerent; certe vocibus potius, quam conceptibus ipsis, diffidere videntur. *Vnio* vero illa quemadmodum *reciproca* est; ita ex vtraque parte venit spectanda. Optime eam explicaueris cum B. Gerhardo, quod *ex parte Christi sit actiue*, *ex parte nostra sit potius passiu*a. *Christus nempe ea ratione est in nobis, vt in nobis uiuat*, Gal. II, 20. vt omnium suorum bonorum, iustitiae, & vitae aeternae nos participes faciat, vt *spiritum sanctum nobis impertiatur, vt verbo & spiritu suo nos regat, vt nos tanquam oculi pupillam protegat, atque defendat*. Nos vero ea ratione sumus in Christo, vt ab ipso, tanquam capite, vitam spiritualem, iustitiam, & salutem, percipiamus, vt corpori ipsius mystico, tanquam vera & viua membra, inseriamur, vt ab ipso regamur, sustentemur, defendamur. Ex quibus quemadmodum tota haec *vnio* Christi cum fidelibus suis *gratiae* esse intelligitur, ita & *causa* eius, quae est ipse Christus, fons gratiae, se nobis vniciens, non excluso tamen Patre & Spiritu S. & *ratio causandi*, quae est ipsius virtus diuina ad producenda opera gratiae, ex B. Gerhardo antea allegata, & *causalitas*, quae est ipse actualis influxus eius virtutis, ad opera illa actu producenda, &

Io. XV, 4-7.  
1. Cor. VI, 17.  
Syst. P. III.  
p. 614. a.

VI. III. 173

IX. I. col. 11  
208. q. 12. 20

1. 173. 173  
1. 173. 173

C

causa

*causa impulsiva* interna, quae est summus eius amor, distincte intelliguntur. Quemadmodum nec *media* huius vnionis obscura sunt, quae scilicet ordinaria illa sunt gratiae media ex parte Dei: verbum sc. & sacramenta, ex *nostra* vero parte *fides*, per quam diserte *in cordibus nostris Christum habitare* dicit Apostolus. Sicuti vero partes vniondae hinc quidem nos sumus, qui credimus; inde *Christus* secundum vtramque naturam, adcoque, quatenus est mediator noster spectatus, ita ex hoc ipso statim concluditur, vna cum Christo Patrem quoque nobis vnio-  
 In Io. L. XI. ri & Spiritum S. Eleganter enim Cyrillus *τετελειωμεθα τοιγαρὲν*  
 s. XI. p. 1002. *αἰς ἐνότητα τὴν ὡς πρὸς θεὸν καὶ πατέρα διὰ μεσότητος Χριστοῦ. τὸν γὰρ*  
*φύσσειτε καὶ ἀληθῶς υἱὸν, ἰσιστῶδη πρὸς αὐτὸν ἔχοντα τὴν ἕνωσιν, λα-*  
*βόντες ἢ ἑαυτοῖς καὶ σωματικῶς καὶ πνευματικῶς, τῆς ὑπὲρ πάντα*  
*φύσεως μέτοχοι καὶ κοινωνοὶ δεδοξίσμεθα;* Forma vero vnionis consistet a parte *Christi* in actuali influxus gratiae praestellatione, quo sibi nos tanquam membra vitaliter coniungit: a parte *nostra* in *adhaesione* per fidem viuam, quatenus Christum apprehendit, nobisque applicat vt fiat noster, vicissim nos ei applicat vt fiamus membra eius, quod facit *fides* influxum gratiae eius recipiēdo: vt maneat adeo, prout antea monitum B. Gerharδο, vnio haec, ex parte Christi *actiua*, ex parte nostra *passiua*. Quae vnio *realis* maxime est, licet non *personalis* sit, neque *substantialis* qua formam suam, nam respectu terminorum vnitorum, qui sunt vtrinque substantiae, *substantialem* appellasse Theologos inuenias. *Gratiae* igitur hanc vnionem convenientissimo vocabulo dicas, quam *mysticam* communiter appellant, quod iuxta Apostolum magnum *μυστήριον* sit, rationi nostrae infirmae, & coequenti, non satis penetrabile. De qua omnia explicare praesentis instituti non fert ratio, tantum explicasse sufficiat, quantum rei nobis tractandae satis esse videbatur.

Quenstedt. l.c.  
p. 66. b.

Eph. V. 32.

III. Quemadmodum vero alias ex quavis *vnione* oritur *communicatio* vnitorum eius generis, cuius est ipsa *vnio*, ita heic quoque fieri animadvertimus. Eam communicationem, ex *vnione mystica* fidelium cum Christo resultantem, satis commode ita explicant Theologi, vt per eam *κατ' ιδιωμόσιν* Christum sibi appropriare ea ostendant, quae sunt fidelium, & fideles rursum sibi appropriare ea, quae sunt Christi. Sic Christus sibi appropriat morbos & aegritudines fidelium spirituales, quos *portasse* dicitur. Appropriat sibi, quicquid factum sit illis, vel boni vel mali, sibi id *factum* esse dicens: Saulo se esse ostendit, quem ille persequatur. Vnde, quae ipse tolerabat *παθήματα* Apostolus hoc quoque sensu *χαρὶς ἡ μαθήματα* vocat & *tribulationes* Ecclesiae deinceps exantlandas *ἐσθηματα τῶν θλίψεων τῆς χαρὶς* appellat. Vnicuique fidelibus tribuuntur, quae Christi sunt, qui ipsis iam factus est *sapientia, sanctitas, iustitia, & redemptio*, vt iam reperiantur in Christo habentes *iustitiam* ipsius, & quae ad eam pertinent. Quemadmodum vero *κατ' ιδιωμόσιν* *communicatio* haec facta intelligitur; ita porro etiam fit *κατὰ μεταποίησιν* mysticam: per quam gratiae suae excellentissima dona fidelibus iam confert Christus, cum iisdem vnitus, qui scilicet *donum accepit* pro hominibus, non sibi sed illis ea meritis: *χαρὶς καὶ ἀλήθεια* dona gratiae sine vmbra & figuris nobis impertitus est: ipsam *vitam aeternam* dat ouibus suis: vt cetera taceam. Denique *κατὰ νομοποίησιν* mysticam, in & cum fidelibus sibi vnitis Christus operatur, operationes istas supernaturales, quas gratia ipsius *ἐν δυνάμει καὶ ἐν ἰσχύϊ* producant: quippe qui *χαρὶς αὐτῆς*, extra vnionem cum ipso, *facere possint nihil*: ipso operante *in ipsis omnia*, & *velle & perficere*.

IV. Et mortem igitur, vt ad rem nostram deueniamus, & *vitam* quoque cum Christo, h. e. Christi, nobis tribui primario secundum *primum genus* communicationi illius h. e. *ιδιωμόσιν* mysticam est manifestum. MORS quidem Christi, de qua iam

Et communicatio

Et illi, c.

Matth. XXV. 40.

Act. IX. 4.

2. Cor. I. 4. 5.

Coloss. I. 24.

1. Cor. I. 30.

Pl. LXIX, 19

Io. I, 17.

Io. X, 28.

Io. XV, 5.

adde Rom.

XV, 18.

1. Cor. III, 9.

XV, 10.

2. Cor. XIII, 3

Gal. II, 20.

Phil. IV, 13.

Explicatio

mortis cum  
Christo ex  
praeced. quae  
torbis tribui-  
atu per impu-  
nationem.

Rom. VI, 7.  
I. Tim. III, 16.  
I. Io. II, 1.

XXX. d. m. l. a.  
op.  
XI. d. a.  
I. Io. II, 1.  
I. Io. II, 1.

Phil. III, 10.

Gal. II, 19.

Phil. III, 10.

Quid sit pa-  
rtizati in mor-  
tem Christi.

Rom. VI, 3.  
Gal. III, 27.

Gal. v, 12.

Phil. III, 10.  
I. Io. II, 1.  
I. Io. II, 1.  
I. Io. II, 1.

nobis maxime agendum, nostra sit primario per applicationem fidei in *iustificazione*. Nempe mortuus est Christus, qui peccata nostra in se susceperat, ut per mortem satisfactoriam deposito reatu peccati, qui in ipsum transierat, ipse *iustificaretur*, h. e. in iudicio diuino, soluta sponione, & satisfactione pro peccato praestita, dimitteretur morte sc. ista *dedicatione*. Quae est *iustificatus a peccato*; *dedicatione* in *usuarii iustificatus Spiritu*, atque eo nomine *diuus* & *iustus*, ea iusticia, qua sponsoris partes impleset, & ut pro tali in iudicio agnitus, efficaciter pro nobis intercedere valeret. Ita vero *mortuo* Christo, cum ipso etiam mortua est Ecclesia, tanquam corpus eius mysticum, Dum scilicet haec mors Iesu Christi ipsi *imputatur*; eaque adeo in iudicio diuino ita cum Christo capite absolvitur, atque ex eodem dimittitur, ac si ipsa mortem illam iustitiae diuinae satisficientem subiisset. Atque haec est *κοινωνία τῶν παθημάτων Christi*, cuius cognitionem tanti facit Apostolus. Haec *συμμορφώσις τῶν θανάτων αὐτοῦ*, *conformatio cum ipso in morte eius*, quam refert Apostolus ad iustitiam illam in *Iesu Christo*, quam habere cupit, repudiata propria in lege iustitia. Hoc est quod *crucifixi cum Christo* dicimur, qui ex *imputata morte crucis*, ita per hoc ipsum *iustificamur* ac si crucifixi ipsi essemus.

V. Huc pertinet, quod *in mortem Christi baptizati esse dicimur*. Quod nihil aliud sibi vult, quam baptismum ad hoc ipsum nobis conferri, ut in *κοινωνίαν* mortis Iesu Christi deveniamus. Quemadmodum enim per baptismum *Iesum Christum induimus*, ita eum induentes mortem quoque eius nobis vindicamus. Huc quoque pertinet, quod Apostolus in ipsa Epistola ad Colossenses, quae istius nobis meditationis occasionem dedit, *κοινωνία θανάτου* *sepultos nos* dicat cum Christo *in baptismo*. Quod nullum alium sensum habet, quam per *baptismum*, quo Christum induimus sepultum, in sepulturae eius perinde ac mortis nos *communione* admitti.

VI. Hu-



VI. Huius vero *mortis* nostrae, quae Christi mors est, <sup>Effectus im-</sup> <sup>putationis</sup> <sup>mortis Christi.</sup> *straque* fit ex iure communionis cum Christo per imputationem, immediatus effectus vel consequens est ipsa *iustificatio*, s. *liberatio* a reatu peccati, tam quoad poenam quam quoad culpam, quandoquidem illa mors, ut iam observauimus, fit *satisfactoria*. Hinc dicimur ἀποθανεῖν τῆ ἀμαρτίας peccato mori: Rom. VI, 3: quod minime dubitem ad iustificationem referre, qua absoluti a peccato mortui esse concipiuntur, dum tollitur in eis id, quod peccati metui obnoxios eos tenebat. Sane Apostolus ex hoc, quod *mortui sumus* peccato, infert ea, quae ad *sanctificationem* pertinent: adeoque hic concipit aliquid sanctificatione prius, quod nempe sit iustificationis. Cum *iustificatione* vero reliquos etiam fructus *mortis* Christi *νοῦα* illa cum eo trahit, in quibus is, quem praecipue loco nostrae meditationi proposito spectat Apostolus, est *libertas* Christiana a *maledictione* legis omnium, & quo maxime ille respicit, *ab oneribus* legis ceremonialis. Scilicet ex hoc ipso, quod *mortui sumus*, in communionem veniendo *mortis* Christi, Apostolus demonstrat *δούλωσιν* *ἀνθρώπων* & *συνετοῖς τῷ νόμῳ* nos obnoxios haut amplius esse. <sup>conf. esp. praec. §. V.</sup> <sup>Mors Christi nostra mors in sanctificatione.</sup>

VII. Quemadmodum autem ita in communionem *mortis* Christi primario & principaliter peruenimus, per *imputationem* eius nobis factam in *iustificatione*; ita praetereundum non est in eandem nos etiam admitti per *imitationem* in *sanctificatione*. Ad hoc ipsum vero cum Christus influat virtute *mortis* suae, tum *di-* *res* nobis ad hanc mortificationem suppeditando, tum *operando* in nobis, *ἐπιπονώ* & *υπενωσία* mystica id quoque deduci potest. <sup>Comm. ad 7;</sup> <sup>Gal. V, 47.</sup> Scilicet ut egregie B. Lutherus noster ait: *Vbi induti sumus Christum, indumentum iustitiae & salutis nostrae, tum etiam induemus Christum vestimentum imitationis*: quod, ut reliquis quorum *com-* *muni*o nobis cum Christo intercedit, ita *morti* etiam eius venit applicandum. Atque illa *mors* est, qua perit *vita* veteris hominis *no-* *stri*;

1. Pet. II, 24. nostri, qua peccatis ἀπογενόμενοι *mortui*, vt vulgatus reddit, *in-  
stitiæ viuimus*. Illa mors est, qua mundo & carni mori debemus,  
vt ab illis non amplius moueamur, quippe quibus tanquam mor-  
tuis nullus superesse sensus debeat, qui talibus afficiatur. Illa mors  
est, qua affectus fidelium ab omnibus rebus in mundo abstrahi-  
tur. Nata quicquid eorum est, fideli velut haereditas spectandam  
erat, vel vt *pignus* haereditatis: vel vt *res*, cui seruiendum fit pro-  
pter peccatum. Vt *haereditatem* nihil spectare potest eorum, quae  
sunt in hoc mundo, qui sciat κληρονομίαν ἀφθάρτων τετηρημένην ἐν  
ἑαυτοῖς εἰς ἡμᾶς, *haereditatem incorruptam in caelis nobis seruari*.  
Hinc Abrahamus, magnum illud fidei exemplum, egredi iu-  
betur ex natali solo, & relicta patria haereditate, *melio-rem &  
coelestem* quaerere. Vt *pignus* haereditatis Israel ille secun-  
dum carnem spectabat terrena quaedam bona, possessionem  
terrae Cananaeae, & reliqua, quae huc pertinent. Sed enim  
vero qui *fidei* oculum firmiter habet defixum in bonis spiritua-  
libus & coelestibus, Noui testamenti fidelis, imo qui suo  
modo in eorum possessionem iam venit, ex priuilegio gratiae,  
in N. T. nobis comparatae, λαμβανόμενος τὴν ἰσχυρίαν vt qui  
conf. VIII, 7. 9. *acceperit quod promissum erat in V. T. κωμίζομεν τὴν ἰσχυ-  
ρίαν, reportata re promissa*, pignore non amplius habet opus  
X, 36. *rei*, quam iam possideat: adeoque libenter etiam mundanis  
Io. Gerhard. c. Wendelin. & Io. Ern. Ger-  
hard. diss. de Testam. c. III, Theorem.  
2. *rebus*, in quantum vim pignoris habere possent, moritur. Sed  
& moritur *rebus*, quibus seruiendum fit propter peccatum,  
Neque enim, qui reconciliatione, persoluto reapse lytro, per-  
acta, *consummatam* habet conscientiam, opus habet rebus, in  
quibus sit ἀνάμνησις ἀμαρτίας *recordatio peccati*, quales sacrifi-  
cia V. T. & reliquus cultus, cui ἀδύνατον ἄφεσιν ἀμαρτίας. *im-  
possibile est auferre peccata*, & offerentes *consummare*. Quam-  
obrem, tanquam qui *semel purgatus*, nulla amplius peccati,  
quoad reatum & poenam eius, *conscientia* laboret, in sanctifi-  
catione

Hebr. IX, 15.  
conf. VIII, 7. 9.  
X, 36.

Io. Gerhard.  
c. Wendelin.  
& Io. Ern. Ger-  
hard. diss.  
de Testam.  
c. III, Theorem.  
2.

Hebr. IX, 19.

Hebr. X, 3.

4.

3.

catione quoque ita moritur, vt tanquam partem cultus sui nihil istorum respiciat.

VIII. Quemadmodum autem sanctificatio nostra in hac vita non consummatur, sed imperfecta manet, ita haec *mors* quoque nostra, in quantum ad sanctificationem pertinet, penitus consummari non potest. Est igitur hac parte ea fere conditio nostra, quae est *morientium*, & quotidie in agone constitutorum. Quo referre quodammodo possis, quod Paulus ait, *ſe uel nūquam a nobis mori: quotidie mori*: reliquiis scilicet vitae peccati cum *Spiritu*, qui eam interimere nititur, colluctantibus. Atque id quidem eleganter & solide, vt solet, B. Lutherus exprimit, immersionem in Baptismo peractam explicans, eamque significare dicens, quod *vetus Adam*, qui **ADHVC IN NOBIS EST**, *subinde per QVOTIDIANAM MORTIFICATIONEM ac praesentiam in nobis submergi, & extingui debeat*. Et quemadmodum per *baptismum mori cum Christo* dicimur; ita idem vir magnus, postquam ostendisset opus *baptismi*, immersione significatum, esse mortificationem veteris & resurrectionem noui hominis, per omnem vitam nobis indefinenter exercendam; plane egregie *Christiani vitam nihil aliud esse dicit, quam QVOTIDIANVM quendam BAPTISMVM, semel quidem inceptum, sed qui semper exercendus sit*. Neque id ipsum obscure Apostolus indicavit in textu nostro, vltus voce *ἀνεθάρσεν* in forma *Aoristi*, quae vt supra notauimus, actus moriendi continuatio notatur. Vt scilicet, quemadmodum in mortis Iesu Christi communionem per *imputationem* quotidie venire intelligimur in iustificatione, & remissione peccatorum quotidiana, quae in singulis suis momentis consummata est; ita in *sanctificatione* quotidie mori & in agone esse intelligamur; qui in totalem vitae veteris hominis priuationem cum morte corporali

*Mors illa sanctificationis in hac vita non est consummata.*

I. Cor. XV, 31.

Rom. VIII, 13.  
Catech. Min.  
P. 377.

Catech. Maj.  
P. 548.

rali demum sit defiturus, qui actus moriendi quotidianus, sine *reliquis vitae peccati*, quae interire debet, donec consummatum nobiscum fuerit, residuis, concipi nequit.

Mortis eius affectiones.

IX. *Serio* autem hic agere oportet hominem, vere in *communione mortis* Christi viuentem: Non sufficit *occultare* & quodammodo constringere veterem Adamum cum concupiscentiis suis: *occidere*, quantum in nobis, par est. Qui *seruatum* Regem Amalekitarum in carcere abscondebatur, ex intentione Dei occidendum, Saulus, eo ipso Regiae vitae dignitate excidebat. Id non inelegantem iudicii nobis expectandi, *veteri homini* parentibus, figuram praebere posse B. Arndius obseruauit. Sed & idem *affectum* in veterem hominem nos impedire non debere, ad *fortiter* peragendum opus exemplo Achabi docet; qui Regem Syriae contra intentionem diuinam dimittens, suam animam pro anima eius morti obnoxiam faciebat. Imo *constanter* etiam & perseveranter operi insistendum esse res ipsa loquitur. Cum facile sit, ut vires in nobis resumatur peccatum non plane extinctum. Neque committendum adeo, ut, quod arboribus euenit, ut folia hyme defluentia, ver inde succedens restituat; ita nobis quoque, calamitatum tempestate exercitis, quicquid improbae disperit cupiditatis, radiante melioris fortunae luce denuo reflorescat.

Christianism.  
Ver. 1. 12.

X. MORS autem illa nostra cum Christo, quam primario hic spectamus, nempe quae est ex *communione mortis* Christi, nobis *imputatae in iustificatione*, VITAM Spiritualem praecedat, si non tempore, ordine saltem. Sane enim simulac mors Iesu Christi nobis imputatur, & nostra fit, *viuere* incipimus; ita tamen, ut *ordine* mors vitam antecedit, quem Apostolus noster obseruauit, qui τὸ ἀπὸ θανάτου μὲν ἔστις praeponebat, tum de *vita nostra* cum Christo subiungit. MORTUI estis, & VITA vestra abscondita est cum Christo in Deo &c.

Quem

Quemadmodum vero hac ratione imputatio *mortis* Iesu Christi, tanquam *vitam* promerentis, antecedit, ordine naturae, nos in vita eius communionem in *iustificacione*; Ita etiam in *sanctificatione*, in qua *mors* & *vita* Christi efficaciter in nobis operantur ad *imitationem* istorum, *mors* antecedit *vitam*, quod potissimum respexit, idque variis eo accommodatis Scripturarum figuris eleganter explicavit B. Ioannes Arndius noster. Ver: Christia-  
 Sed ipsius sanctissimi senis verba praestiterit audire. „ Ceterum, nism. l. 1 s.  
 inquit, cum animus, a variis mundanis concupiscentiis distra-  
 ctus, verae tranquillitatis & pacis capax non sit, sequitur illis,  
 ante moriendum esse, quam Christo vivere incipias. Id quod,  
 nos summum numen variis Veteris testamenti figuris docuit,  
 Sara, cum per aetatem esset liberis gignendis inepta, & concu-  
 piscentiae maritali mortua, concepit in utero, & peperit Isaac,  
 quae vox risum significat. Ita tu, nisi ex animo tuo amorem, Gen. XVIII,  
 mundanum euulseris, gaudium spiritus percipere sentireque, 20. K. 1  
 non poteris. Abrahamo non ante facta promissio de Christo,  
 percussumque cum illo foedus in circumcissione, quam egressus,  
 esset domo & patria, reliquissetque haereditatem suam. Haur,  
 aliter homo, quam diu animum mundo habet affixum, nulla ra-  
 tione Christum in corde suo gustare atque percipere potest.  
 Mortuo Herode rediit Christus in Iudaeam, manifesto docu-  
 mento, quoad animus tuus cum mundo vulpinatur, Christum, Math. II, 19.  
 in illum ingredi non posse: moriendumque proinde vulpi He- 20.  
 rodi, ut vivat in te puer Iesus. Quae omnia eo redeunt, ut,  
 Adamo prius moriendum sit, quam Christus in te vivere,  
 possit. „

XI. *Vita* autem illa nostra est ipse CHRISTVS, quem- Vita nostra est  
 admodum tum ex textu nostro, tum ex similibus ei scriptura- Christus, &  
 rum locis supra fuit ostensum. Quod ex *unione* rursus my- quomodo item  
 stica consistat. in quo haec vi-

D

stica deducendum, quae communionem infert *vitalis*, & omnium eorum, quae in *Christo* sunt, bonorum. Fit autem *vita* nostra nobis *Christus* iure vnionis illius, & per resultantem inde communionem, κατ' ἰδοπιάνην, dum fidelibus, vt reliqua, quae sunt *Christi*, ita etiam *vita* eius tribuitur, ipseque adeo *vita* eorum esse censetur: dum *vita* ab ipso parta nostra est *vita*. *Vino* & vos *vinetis*, Atque sic *Christus* *vita* nostra eua-  
 dit *meritorie*, dum merito suo, tanquam *Sacerdos* noster, nobis *vitam* spiritualem atque aeternam acquirit, quae *vita* eius, dum meritum ipsius nobis imputatur, fit nostra *vita*, ipso nobis se praebente δεξιῶν τῆς σαρκεῖας autorem & fontem *vitalis*, atque αἰών αἰώνος σαρκεῖας causam & principium *salutis aeternae*. Ast & *vita* nobis *Christus* fit κατὰ μεταποίησιν ex illa vnione. Per eam scilicet *gratiae* suae dona amplissima nobis confert, atque cum illis ea omnia, quae ad *vitam* illam spiritualem pertinent, *vitam aeternam* dans omnibus suis. Atque ita fit *vita* nostra, *effectiue*, virtute sua nos *vinificans*, atque *dono habitualia* *vinifica* nobis conferens, quod ad Regium officium non immerito cum magnis Theologis referas. Fit vero postremo etiam *vita* nostra κατὰ νονοποίησιν mysticam, dum scilicet actus *vitalis*, h. e. operationes omnes supernaturales, in fidelibus suis ipse producit: qui sine ipso nihil omnino facere possunt. Qua ratione rursus *effectiue* fit *vita* nostra, quae per *νονοποίησιν* illam in actu secundo sese exerit, quemadmodum *μεταποίησιν* mysticae actus primus illius *vitalis* cum maxime debebatur. Atque ad tertium hoc & secundum genus pertinet, quod *Christus* fit *vita* nostra *cognitione salutari* quam in nobis ipse operatur, mentibus nostris in verbo Evangelii sese, vt fontem *vitalis* atque *salutis*, sistendo; qua ratione fit *vita* nostra, si ita loqui aues, etiam *obiectiue*. Nempe, vt ipse ait, apud Ioan-

Ioannem, *Haec est VITA AETERNA, ut te solum ve-* lo. XVII, 8.  
*rum DEVM, & quem misisti, Iesum Christum, COGNO-*  
*SCANT. Quemadmodum enim vitae gloriae, in quam vita*  
*gratae definit, in INTUITIVA Dei & Iesu Christi, imo*  
*ro ius S. S. Trinitatis cognitione consistit, qua Deum videmus* 1. Io. III, 2.  
*sicuti est. Ita vita gratiae quoque consistit in cognitione Iesu*  
*Christi, & cuius gloriam in facie eius agnoscimus, Patris. Vita au-*  
*tem hac ratione Christus sit nostra, omnes facultates nostras* s. Cor. II, 10.  
*animans atque vivificans. Intellectum quidem, (quippe cuius* Io. I, 1.  
*vita lux est,) dum ipse vita, euadit lux hominum, atque tan-*  
*quam talis ab intellectu notitia & assensu, siue actuali, siue ba-*  
*bituali, apprehenditur: Voluntatem vero, dum ad fiduciam*  
*eam animat, imo etiam animat ad fructus fidei in sanctificatio-*  
*ne proferendos, quippe quorum nihil *χωρίς αὐτοῦ* sine eo fieri pos-*  
*set. Qua postrema ratione, quemadmodum ipse Christus* Io. XV, 3.  
*tanquam Vita nostra in nobis vitam operatur, ita eam ope-*  
*ratur vitae suae conformiter, adeoque per hoc ipsum fit vita no-*  
*stra etiam exemplariter, tanquam propheta & Doctor exem-*  
*plo quoque nobis praelucens. Ut in nostra adeo vita similes*  
*ipsi reddamur: qui ut *τύπον* exemplum nobis reliquit, & *ὑπο-*  
*γραμμὸν*, ita ad hoc ipsum virtute sua vitae in nos influit, vt*  
*vestigis eius vitam in ambulemus.*

XII. Patet ex illis, tum quod *Christus* vita nostra sit, & in Vt Christus in  
 quo vita nostra nunc quidem consistat. Neque obscurum post nobis & nos in  
 ista esse poterit, quomodo & *Christus* vivere in nobis, & vicis Christo vivere  
 sim nos vivere in *Christo* dicamur. *Christum in se ita vivere* dicamur.  
 dicit Paulus, vt non ipse aeque, quam *Christus in se* vivere di- Ea vita in nos  
 cendus sit, quoniam scilicet *Christus* secundum huc usque dis- deriuatur per  
 putata, vitam omnem, & omni modo, qua Deo vivimus eo- fidem.  
 que fruimur, nobis confert, ipseque in nobis operatur. Nos  
 D 2  
 vero

vero vivimus cum Christo, & in Christo: nam vt Ioannes dicit: *1. Io. V. 11. 12.* vita, quam Deus nobis dedit, est in filio eius, in quo, vt max audiemus, *13.* vita nostra abscondita est, quippe cui *10. XV. I. coll.* inferamur, tanquam *Rom. XI. 20.* viti viuenti, & quidem inferamur per fidem, qua insiti ei omnem vim & operationem vitalem ex eo ducimus. Hoc enim medium deriuandae in nobis omnis illius *vita gratiae*, in *vita gloriae* consummandae. Quod vt disertis verbis testatur Christi-

*10. III. 16. 36.* stus, qui omnem *credentem habere vitam aeternam* dicit; ita non sine sensu interiore, vi veritatis coactus agnoscit ex ipsis aduersariis, Iansenius. Quod dicitur, inquit, *qui credit in eum, ostendit, quanta facilitate vitam, non temporalem, sed aeternam consequamur, DVM SOLA FIDES, res scilicet facillima, exigitur, vt in Christo incorporemur, & meritorem eius reddamur participes. Haec enim est summa Dei benignitas, vt tali medio dignetur nos suae gratiae facere participes.*

Comm. in  
Conc. Evang.  
c. XX, in Ioan.  
III.

Phras. EGO  
SVM CHRI-  
STVS explica-  
ta.

T. IV. Altrenb.  
p. 1629. b.  
Bibl. Hlustr. ad  
Gal. I. 20.

et sustinet  
et non dicitur  
vult ostendit  
sumas  
et in suis  
et in suis

XIII. Neque haec iam expendentibus obscurum esse potest, quo sensu Beatus Lutherus noster, Pauli phrasin explicans, *vivo igitur, sed non ego, verum Christus vivit in me*, statuerit, eam esse vitae fidelis *in Christo, & Christi in ipso* rationem, vt dicere possit: EGO SVM CHRISTVS. En verba eius prout in Latinum sermonem conuersa ea exhibet, atque approbat B. Calovius: *Haec fides pure est docenda, vt scilicet sic per eam conglutineris Christo, vt ex te & ipso fiat quasi vna persona, quae non possit segregari, sed perpetuo adhaerescat ei, vt cum fiducia dicere possis: EGO SVM CHRISTVS h. e. Christi victoria, iustitia, vita, est mea. Et vicissim Christus dicat, ego sum peccator, h. e. eius peccata, mors &c. sunt mea; quia adhaeret mihi, & ego illi: coniuncti enim ei sumus per fidem.* Quam proinde phrasin non erat, cur vitiligatores quidam Pontificii cavillarentur, & in sensum verterent deteriore. Manifestum enim est, *Beatorum virum nihil aliud spectare, quam arctissimam illam*

vni-

0137



vnionem, quae inter Christum *caput*, & *membra* eius intercedit *per fidem*. Qua fit, vt, cum homini *fideli imputetur iustitia Christi*, ipse *in Christo* coram diuino iudicio compareat, ad eoque *cum Christo vna quasi persona fiat*, ob *gratiam* illam moralem, dum scilicet *iustitia Iesu Christi*, si ita loqui liceat, *personatus* incedat. Quemadmodum vicissim *personam* peccatoris induisse Christum obseruat. Scilicet *persona* proprio maxime vsu moralem notat habitum, euaduntque adeo *vna persona Christus & homo peccator*, sed *fidelis*, dum ille *suscipit* huius peccata, hic illius *iustitiam* induit. Atque eo maxime B. Lutherus respicit. Quemadmodum vero Christus cum iis, qui fide ita sibi vnionur, tanquam *caput corpori* coniungitur, inque iis omnes facultates & potentias eorum, tanquam *vita* ipsorum, animat; ita exinde quoque vltior eius phrasaeos illustratio peti posset. Atque iuxta haec ipsae Scripturae passim sunt explicandae *Christum cum suis fidelibus* τὸν ἀγιάζοντα  
 καὶ τὸς ἀγιαζομένους *vnnum* quid esse dicentes, & eum, qui ipsi adhaeret, *vnnum cum ipso Spiritum* fruuentes, *os item ex ossibus*,  
 & *carne ex carne eius fideles esse docentes*. Imo, vt breuissim, loca ea omnia, quibus ex Christo tanquam *capite*, & *fidelibus*, tanquam *membris*, *vnnum corpus*: ex ipso tanquam *fundamento*, & *fidelibus* tanquam *lapidibus viuis*, *vnnum aedificium*: ex ipso tanquam *vite*, & *fidelibus* tanquam *palmitibus*, *vna arbor* coalescere dicitur, ex illis sunt explicanda. Quamuis, vt ad B. Lutheri phrasin redeam, non possim non discedere in clarissimorum Theologorum sententiam, qui *κατάδοξον* non nihil eam habere, atque propter fanaticorum ingeniorum abusum, in communem vsum non adducendam facile esse iam pridem iudicauerunt.

Media vitae  
huius conse-  
quendae.

Io. V, 39.

1. Pet. I, 23.

Io. VI, 63, 67.

Gal. IV, 19.

Tit. II, 7.

Catech. min.

p. 377.

Coloss. II, 12.

Io. VI, 31.

P. I. Theoret.

Sect. III. Art.

II. p. 335.

Vita haec quo-  
modo dicatur  
aeterna, & qua  
parte cum vita  
futura conue-  
niat, & ab ea  
discipet.

XIV. Cum vero quicquid est *vitae* istius nostrae per *fidem* in nos deriuari omnino ex hucusque disputatis intelligatur: facile quoque patet, *media* illam *vitam* in nos deriuandi esse ordinaria illa *fidei* in nobis excitandae *media*. VERBUM ante omnia, quippe in quo *vita aeterna inuenitur*, in quantum *de Christo testatur*. Hinc per illud *regenerari* dicimur, quoniam ex eo *vita haec fidei* existit: quemadmodum & ipsum propterea *Vita*, & verbum *vitae* appellatur: & per illud Christus in fidelibus *μεσσωδὴναι* h. e. *vinere incipere* dicitur. BAPTISMVS porro, qui lauerum proinde *regenerationis*, h. e. ex quo *vita illa* in nobis existat, vocatur. Quemadmodum & a B. Luthero nostro *salutaris aqua gratiae & vitae* vocatur. Et clarissime Apostolus ait, nos *συμμετέδομεν τῷ Χριστῷ*, una cum Christo, qui est *vita nostra*, *vitam recuperare in baptismo per fidem in virtutem Dei*, quae suscitauit Iesum Christum ex mortuis. COENA DOMINICA denique, in qua sicuti nobis *caro Christi* porrigitur, quae est panis *VITAE*, qui de coelo descendit, vt sacramentaliter ea etiam fruamur; ita *vitae principium viuificus* ille cibus in nobis non existere nequit. *Viuificat* autem nos coelestis ille cibus, tum in *vita spirituali*, per verbum & baptismum primum collata, nos conseruando: tum eam, peccatis mortalibus amissam, sed fide in poenitentia vera recuperatam, vegetando atque fouendo, quemadmodum praeclare docet B. Henr. Hoepffnerus noster in aureo de *S. coena* tractatu.

XV. *Vita* vero haec nostra, qua viuimus in Christo, & qua Christus in nobis viuunt, dicitur in Scripturis Sacris *vita AETERNA*. Haec enim est *vita AETERNA*, vt *se solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum agnoscant*; vt ipse Christus testatur, qui alio loco, *eum, qui credit in filium, habere vitam aeternam; qui videt filium, eum habere vitam aeternam*.

nam; se dare ouibus suis vitam aeternam docet. Imo & de ver-  
 bo, quod in medijs huius vitae excitandae spectauimus, ait, in eo  
 inueniri vitam aeternam: & carne sua comedentes, ac bibentes  
 sanguinem suum, habere vitam aeternam. Pariter charissimus  
 Christi discipulus Ioannes, hoc esse testimonium ait, quod Deus  
 nobis dederit vitam aeternam, & hanc vitam esse in Filio eius.  
 Et ideo se scripsisse suis ait, qui credunt in nomen Filii Dei, ut  
 sciant, quod vitam aeternam habeant. Nemini autem non pa-  
 tet, non posse intelligi iis locis omnibus vitam aeternam du-  
 raturam, & nulla morte interpellandam, qualem iam tum acce-  
 pisse fideles experientia confutat. Neque aliis argumentis  
 opus est contra Io. Asgillum, & si qui alii sunt, qui stolidissi-  
 mo conatu isthuc eius generis dicta trahere conati fuere, ad  
 explodendam παραδόξον, & in Apostolos, martyres, & sanctos  
 omnes iniuriam sententiam, nisi quod ipsa eorum fata nobis  
 suppediant. Nempe, ut bene B. Bechmannus noster, in hu-  
 iusmodi locis, vbi vitae aeternae fit mentio, non tam intelli-  
 gitur vita ipsa, secundum se spectata, sed quae ei accidit felicitas  
 summa & sine fine duratura. Eam vero felicitatem vitae  
 aeternae, iam accepisse & habere, in hac vita, dicimur, quod ali-  
 quas eius partes iam in hac vita possideamus, qui per partes hic  
 cognoscamus, & iam tum ὁδὸν τῆς ζωῆς resecta facie spectemus,  
 ad imaginem illius transformemur, de gloria ad gloriam proceda-  
 mus, ab omni condemnatione immunes simus, atque in illis bonis  
 χάρις ἀνεκλάλητος καὶ δόξα αἰώνιον gaudio ineffabili, & ex coelesti  
 illa gloria participante, exultemus. Quemadmodum vero aliae  
 partes beatitudinis & vitae huius aeternae, in quibus & corpo-  
 rum nostrorum est glorificatio, sunt, quarum respectu ea deinceps  
 denique est consummanda: ita, ut τὸ τέλειον h. e. partibus  
 suis consummata felicitas, aboleat, τὸ ἐκ μέρους, felicitatem illam  
 partialem; ita respectu earum vita aeterna tanquam futura de-  
 inceps

Io. III, 18, 36.  
 Io. VI, 40.  
 Io. X, 28.  
 Io. V, 39.  
 Io. VI, 54.  
 1. Io. V, 11, 12, 13.

in Diss. de eo  
 argumento.

III, 10, 13  
 12, 13

ad Comp. Hut-  
 teri Loc. 14. Q.  
 1. S. 1.

1. Cor. XIV, 12.  
 2. Cor. III, 18.  
 Rom. VIII, 4.  
 1. Petr. 1, 8.

1. Cor. XIII, 12

inceptu expectari, atque sperari, dicitur. Quod tamen non excludit fruitionem omnem quarundam *partium* in hac vita.

Rom. VIII. 27. Vnde diuinum plane est, quod Apostolus ait *beatos nos actu* esse, & tamen *spem* cum ea beatitudine coniungit. Quam in rem eleganter B. Rappolus. *Nec spes praesentium & fruitionem excludit absolute, sed tantum ratione earum partium, quae statui gratiae cum statu gloriae communes non sunt.* Quae vero *partium* felicitatis illius, & vitae aeternae, hic obtinet ratio, eadem in *gradibus* quoque obseruanda. Ut nempe etiam omnes *gradus* felicitatis in iis *partibus*, quas hic posidemus, non obtineamus, *gradibus* proinde suis in vita illa futura consummandae: in qua *cognitio* imbecillior & quasi *puerilis* in *adultam*, visio *in speculo & aenigmate* in *claram*, qua ipsam faciem intueamur (cetera enim, quae facile quisque suppleat, nunc taceo) commutanda. Qua ratione patet, possessionem vitae aeternae *gratiosam* in hac, & *gloriosam* in altera vita, (vnde bene distinxit B. Seb. Schmidus:) certo modo *eandem* esse: quemadmodum Apostolus in textu nostro *ipsam hanc vitam*, quam nunc posidemus, cum Christo in gloria dicit esse manifestandam: quodammodo tamen etiam differre: sed tamen differre non aliter, quam id, quod *inchoatur*, ab eo quod *consummatum* est. Quemadmodum vero *plantae*, licet adulta ea non sit & consummata, & nomen tribuimus & vitam speciei, ad quam pertinet, modo semel coeperit germinare, non obstat eo, quod neque *molem* neque *perfectionem* arboris habeat. Ita non obstat, quo minus *vitae aeternae* nomine veniarid, quod eam inchoat, licet neque *partium* neque *graduum* perfectione sit consummatum. Obseruatum vero illud discrimen aliis desuper diuersitatis rationibus praebet fundamentum. Atque illi inprimis, quod, cum inamissibilis sit futura illa gloriosa

Rom. VIII. 27.

ad I. Io. III. 2.

I. Cor. XIII.  
11. 12.Comma.  
ad Hebr. VI. 5.

I. VII. 20.

I. III. 20.

I. III. 20.

I. III. 20.

I. III. 20.

riosa eius vitae possessio, amitti possit ea, quam in hac vita habemus, gratiosa eiusdem possessio. Quod nemo tamen contradictionem inuoluere debet existimare, ideo quod *aeterna* quae sunt, *amitti* haud posse videantur. Nempe *aeterna* illa vita in se est, & ex natura sua, atque intentione Dei, ipsius auctore, quippe ex qua persistunt illius vitae bona. & quemadmodum *vita* ista hic per gratiam inchoatur, ita in gloria *aeterna*, in qua consummatur, est continuanda. *Excidere* tamen ea potest homo salua manente illi *vitae*, in se spectata, sua *aeternitate*. Hinc elegans est phrasis diuinorum scriptorum, qua I. Ioh. III. 15. dicitur, homines, ad improbitatem deficientes, *non habere vitam aeternam in se* MANENTEM. Quod quidem ipsius illius vitae *aeternitati* nihil obest, quemadmodum *Dei* eiusque Spiritui, qui est principium & primus autor eius *vitae*, *aeternitati* ex eo decedit nihil, quod *in quibusdam* non maneat. Re enim in se constanti excidere aliquis atque ab ea recedere potest. Praeclare iterum B. Seb. Schmidius, ad locum Ioannis allegatum: *Ex eo quod dicitur non habet vitam in se manentem, sequitur iuxta litteram, quod dicitur homo, in quo fit vita aeterna, & tamen non maneat vita aeterna in eo: vnde sequitur, & clarum est. hominem, qui vitam aeternam HABET, posse ea EXCIDERE.* Sed de istis & aliis huc pertinentibus in supra laudato scripto apologetico in *thesi* atque *antithesi* pluribus egit, vir summe Venerandus Iulius Franciscus Lutkenus, cui dicta omnino hic conferri merentur.

XVI. Ex fundamentis autem praecedente thesi deductis et Vita illa quomodo abscondita fit? iam explicandum, qua ratione vita ista nostra & *abscondita* dicitur & *manifestanda*, in ipso eo, quem explicauimus, Apostolico textu. *Abscondita* igitur quidem ea dicitur ab Apostolo Paulo, consentiente Ioanne quoque, I. Io. III. 2. *qui filios Dei quidem*

1. Io. III, 2. *nos esse ait, nondum tamen apparuisse quid futuri simus. Nempe abscondita illa vita est primum MVNDO: nam MVNDVS non cognoscit vos, vt dicit Ioannes ait. Praeterquam enim, quod diuina sapientia ista vitae diuinae bona vasis saepe concredit testaceis, h. e. hominibus nullius autoritatis, vilibus, contemptis; facultates mundo non sunt cognoscendi conuersationem fidelium coram Deo, quae fide absoluitur & charitate, intus in animis eorum latente, atque alias quoque deprauatae carnis fallacibus iudicii obnoxia, quae fere quicquid est istorum melancholica deliramenta pronunciant. Dementes nempe fidelium vitam putant insaniam, & exitum inonestum. Neque cognoscit MVNDVS fidelium dignitatem, scilicet se-  
 sciunt, vt elegantem verborum Chrysostomi huc referam sensum, qui nos contumelia afficiunt, quales simus, utpote qui coelestis & supernae patriae adscripti & Cherubim socii, imo adde Dei filii, simus. Istarum enim rerum omnium ignorantia laborans MVNDVS, quomodo agnoscere possit illos, qui eorum diuina gratia sunt participes. Hinc vana gloriatio, & inepta, illis videtur, quicquid de illis dignitatis suae priuilegiis fideles dicunt: Dei, inquit naso suspensio, cognitionem profertur & sese Domini natum ostentat. Ex quibus denique consequitur, vt ea quoque cognitione, quam practica dixeris, & quae affectum importat amoris ac beneuolentiae, MVNDVS fideles non agnoscat, contraria potius ratione odio eos habens, & ad internectionem vsque eos infectans. Bene eam in rem Augustinus ad locum Ioannis allegatum respiciens; Per totum mundum impii & per totum mundum pii, illi nos non cognoscunt, quomodo putamus, quia non cognoscunt, & insultant bene viuentibus. Ex ea ipsa vero re euenire etiam solet, vt vita nostra magis abscondatur mundo, cum in illis calamitatibus, quas ad deuias vocare*
1. Cor. I, 26. *sq.*  
 Sap. V, 9.  
 Hom. LXXXII. in Ioan.  
 Sap. II, 13.

vocare Apostolus solet, nulla vitae illius diuinæ refulgeat ma-  
 icestas. Vt quod de Christo capite dixit propheta, ad corpus my- Esa. LIII, 2.  
 sticum referre liceat: *nulla in eo forma cernitur, ut appeteretur,*  
*informe est & indecorum.* Quemadmodum & ipsa sponsa, Ecclesiae Cant. I, 5, 6.  
 Christi *mago*, aestu calamitatum *fusca* atque deformis nobis re-  
 praesentatur.

XVII. *Abcondita* etiam haec vita nostra dici potest in re- Abcondita II.  
 spectu ad DIABOLUM: Nempe ille, *vt* vita nostra a Chri- diabolo.  
 sto, secundum omnia momenta influxus, & operationis suae  
 gratiosae, atque occultae, pendeat, ignorat, qua de re ex dicen-  
 dis inferius vberius constabit atque dilucidius. Ast & alio  
 sensu *vitam* nostram *abconditam* Diabolo esse, fortassis haut  
 incommode dicas: dum scilicet ei ad lethiferos ictus, quibus  
 de illa triumphet, non patet, & tanquam thesaurus pretiosis-  
 simus, apud Deum in secretis eius repositus, nulla vel vi, vel ar-  
 te eius, nisi ipsi proditores huius vitae esse velimus, surripi at-  
 que interverti potest. Hoc est quod Apostolus dicit, Deum 2. Tim, I, 10.  
 sibi *καρπανάθηκον* suam, h. e. hanc ipsam *vitam* spiritualem tan-  
 quam sacrum *depositum*, *Φυλάξαι*, quasi in thesauris suis abscon-  
 dere, & *cultodire*, ad diem illum manifestationis. Eodemque Ps. LXXXIII,  
 referas, quod fideles *κρυπτοι* *abconditi* Dei, quos ita *abscan-* 4.  
*ditos*, aduersus *consultantes* de pernicie ipsorum protegat Da-  
 vidi audiant. Qui & ipse de illa *occultatione* Dei, qua ipsum Ps. XXVII, 6.  
 in tabernaculo suo quasi abscondat, magno animo alio loco  
 gloriatur.

XVIII. Sed & FIDELIBUS IPSIS *abcondita* illa di- Abcondita  
 ci potest *vita nostra*. Tunc eo quod, vt B. Calouius loquitur, vita haec III  
*mysterium istud plene hic non capiunt, quod ob Christum pro no-* ipsis fidelibus.  
*bis viuificatum, ipse vita nostra sit per fidem.* Tum quod, vt ad Col. III, 3.  
 addit, *vitae huius quidditas, dignitas, ac beatitudo, quoad ple-*

I. Petr. I, 5.  
E. Io. III, 2.

num complementum maximam partem adhuc abscondita sit. Ignorantibus quippe eis adhuc illam inexplicabilem cognitionem, illam perfectam sanctitatem, illum amorem ineffabilem, illam laetitiam, & gaudium consummatum, quae parata sunt ut reuelentur tempore ultimo. Quemadmodum vero hac ratione ipsis fidelibus omni hoc aeuo *abscondita* est vita sua, ita cum maxime in *Statu tentationis* eos latet, quo quidem statu summus occultationis illius gradus, ad tempus tamen tantum obtinere solitus, obseruatur, omni vitae eius sensu ipsis dispercunte, non ipsa tamen illa vita penitus propterea intercidente. Nempe, quod in *vita naturali* obseruamus, ut, quotiescunque in apoplexia, vel somno grauiore, vel alia de causa quacunque *actus reflexus* quem vocant philosophi in vitam nostram intercipitur, atque impeditur, *vitae* per nullum sensuum confecti sumus nobis, praesentis tamen interea, licet in nobis delitescantis quasi, atque absconditae; Ita fieri etiam cum *vita spiritali* solet, ut, quotiescunque mens diabolicis suggestionibus, vel grauiorum calamitatum sensu, vel dubitationum vario impetu, vel subito gratiae ad sensum operationum suarum influxus subtractione, velut apoplexia, percussa, in *actibus reflexis* in vitam suam impeditur, eius sensu quasi exuatur, habens in se vitam illam diuinam, sed occultam quasi, atque absconditam.

At inde colligendum cum Pontificiis sit, nullam dari fidei & salutis certitudinem. ad Col. III, 2.

XIX. Frustra tamen ex eo, quod vita nostra ita *abscondita* est *ipsis* etiam *fidelibus*, cum reliquis Pontificiis colligit Benedictus Iustinianus, fidei atque salutis suae certum esse fidelium neminem posse. *Vita*, inquit, *Spiritalis*, quae pendet a *charitate & gratia*, *abscondita* est, quia non apparet qualis sit, ipsos *illos* latet, qui ne illud quidem certa fide scire possunt, *ut um omnino viuam*. Siccine vero Iustinianus credit ipsum sibi contradicere Apostolum? qui se ipsum quidem certum de fide sua esse magno



in magno cum gaudio profiteretur; Scio cui crediderim, & plane *per suasum habeo eum posse meum depositum custodire ad illam diem.* Siccine eum dicere statuet, quod tamen nesciat? quando ait: *Viuo autem, non iam ego, sed viuit in me Christus. Quodque nunc in carne uiuo, fide uiuo Filii Dei.* Siccine existimat frustra Apostolum excitare fideles, vt *probent*, atque se ipsos inquirant *an sint in fide, vt incrementa vltiora in fide faciant?* quae superuacaneae certe essent excitationes, si nulla vitae istius spiritalis & diuinæ certitudo daretur. Imo quid fiet illi *καυχόμενοι ἐν ἑαυτοῖς* gloriati in spe? quid testimonio illi Dei, quod *credens in se habet?* Sed parco pluribus opponendis argumentis non tolerandae Iustini & aliorum Pontificiorum sententiae, omnem *καρπότητα* & solarium fidelibus in hac vita eripienti: id enim peculiarem tractationem requireret. Ipsi videri possunt Romanae Ecclesiae Doctores, qui meliorem sententiam defenderunt: quam cum in ipsa Tridentina Synodo, variis congregationibus, tueri non veriti essent, Ambrosio Catarino in primis & Antonio Marinaro ducibus, (contra eum maxime nitente Dominico Soto cum suis,) nata inde sunt in Sessione VI. decreta illa flexuosa & ambigua, quae ne insigne specimen Scepticismi Romanae Ecclesiae praebere posse ambigas, ipsi, qui illi concilio interfuerant Doctores, in varias partes traxere. Dominico Soto quidem paulo post in suis de natura & gratia libris, defendente, quod Synodus declarauerit, *hominem non posse scire certitudinem fidei, quae dubitationem omnem excludat, se habere gratiam.* Ambrosio Catarino contra, in Apologetico libello, ipsi Synodo dedicato, ostendente, *concilio nunquam propositum fuisse, eorum damnare opinionem, qui assererent, iustificatum posse credere se habere gratiam tam certo, quam ille certos habeat articulos fidei:* adeo neque ipsi, qui Concilio illi interfuerant, fama & eruditione illustres Viri, verum Synodi

2. Tim. I, 12.

Gal. II, 20.

2. Cor. XIII, 5a

Rom. VII, 26.

I. Jo. V, 10.

P. Suavis Hist.

Conc. Trid.

L. II, p. 225.

Pallavicin.

L. VIII, c. 12.

conf. Suav. l.c.

p. 237. &amp; 254.

scopum & sensum assequi poterant: neque penſi quidquam habebat Synodus, eo tempore adhuc congregata, vt ſincera interpoſita declaratione, genuinam mentem ſuam de illa controverſia exponeret. Deteriorem ſententiam ſuam quoque fecere, dum nuper graui perſecutioni ſuccumberent Reformati in Gallia, Ianſenistarum primipili. Antonius Arnaldus enim in opere, *quo morum doctrinam Calvinianae ſectae placitis everti, demonſtrare conatus eſt*, librum VI. ac ſequentes diſputationi contra *certitudinem* fidei & ſalutis, *vitaque adeo ſpiritualis* impendit. Neque deſuere a parte ſua veritati defendendae Reformati, modo ſubleſta quaedam principia illi diſputationi, ex vitio ſcholae eius, non amiſcuiffent. Exiguo enim temporis interuallo Nemaufenſis miniſter Bruguierius, & in S ntonibus Merlatus, & hodiernum ſuperſtes apud Rotterodamenſes P. Iuricus ea quoque ex parte Arnaldo reſponderunt. Et Bruguierii quidem libro alium mox reſpoſuit Arnaldus, Merlato ex Sorbona Feronus reſpondit: Iurico nihil ab altera parte fuit regeſtum, quod excellenti libri quem ſcripſerat virtuti a quibusdam, in eius partibus qui erant, fuit adſcriptum. Nihilominus tamen ipſe, licet denuo non prouocatus, in eam arenam iterum deſcendit. Cum enim ex ipſis Sorbonae doctoribus Faber in multis ab Arnaldo iniuriam factam Reformatis eſſe publico ſcripto faſſus eſſet: id aegre ferens Arnaldus ſcriptum edidit, *Caluinianiſmi denuo impiorum dogmatum conuicti* titulo, cui nouum Apologeticum doctrinae moralis Reformatorum oppoſuit Iuricus, inque eo denuo illam quoque de *certitudine* fidei & ſalutis, hoc eſt *vitae ſpiritualis*, controverſiam tractauit. Quod tanto igitur apparatu iuſtis ſere voluminibus tractatum fuit argumentum, id in illa breuitate retractare nobis haut licet. Id ſolum monere liceat, quod ipſe textus noſter, qui

occaſi-

occafionem huic diatribae praebuit, fuppeditat: quod ficuri nullo iure colligere poteft Iuftinianus ex eo, quod *Chriftus vita noftra absconditus dicitur*, nullam dari de ipfo *certain fider cognitionem*; ita neque ex eo, quod *noftra vita abscondita dicitur*, inferre valeat, *nullam illius vitae noftrae exiftere certam notitiam*. Quin potius contraria ratione: Si Chriftum *vitam noftram certa fider cognitione nouimus*, certa etiam *cognitione nobis nota effe debet vita noftra*, quae cum ipfo in Deo abscondita eft, imo quam modo fupra explicato, ipfum effe Chriftum tenemus.

XX. Quae caufa vero & ratio eft vitae noftrae ita *absconditae*? Eam luculenter Apoftolus nos edocet in textu explicato. Scilicet *Chriftus adhuc absconditus eft*, a cuius influxu cum ita pendeat haec *vita*, vt ipfe *vita noftra exiftat*; non poteft non *cum ipfo* noftra quoque *vita abscondita effe*. Est autem Chriftus *absconditus MVNDO*, qui licet ab eo factus fit, licet in eo ipfe *manifestatus fuerit*, *in carne affumta*, non tamen *nouit eum*. Post difceffum vero fuum ex hoc mundo, licet in eo *manifestetur per verbum affidue*, fic tamen etiam a MVNDO non agnofcitur, fed fit ipfi *σκάνδαλον καὶ μωρία*, *offendiculum & ftultitia*. Nec caufa longe petenda, *mentes fcilicet mundanorum excoecat huius MVNDI Deus*, ne *colluſtret eos lux Euangelii*, in quo *refulget maiestas Chrifti glorioſa* tanquam *imaginis Dei*. Iam igitur qui *Chriftum non agnofcit*, *VITAM noftram* qui agnofcat? cum Chriftus fit *vita noftra*, nosque per influxum eius vitalem vnum cum Chrifto conſtituamur, Spiritus vnus, & corpus vnum. Haec Chrifti ignorantia caufa erat, cur nec *patrem* nec *Spiritum Sanctum* noſſe mundum Chriftus ipſe pronunciareret, quoniam illi, qui *περὶ χρονης naturali* Chrifto, qua Deo, intime con-

Fundamen-  
tum occulta-  
tionis vitae  
noſtrae, Chri-  
ſtus, qui ab-  
ſconditus eſt,  
mundo.  
Io. I. 10.

1. Cor. I. 23.

2. Cor. IV. 4.

Io. VIII. 19.

Io. XIV. 7.

iuncti

iuncti essent, sine eo cognosci non possent. Iam vero *πρωτοχρηστας* gratiae exemplum ab illa *diuina & naturali* personarum *πρωτοχρησται* ducit Christus. Vnde consequens erit neque fideles, illa gratiae *πρωτοχρησται* cum Christo coniunctos, absque eius cognitione a Mundo posse cognosci.

Io. XVII, 21.

Christus II.  
Diabolo absconditus.

Matth. V.

c. IX.

De epist.  
Ignatii c. XII.

XX. Sed & Diabolo *absconditus* est Christus. Absconditam ei, dum in his terris esset, Christi conuersationem, eiusque scopum fuisse, & rationem, vel improbi caligine obfiti spiritus *in tentatione Christi* probant conatus. Neque in *Iudae* peccus immisurum fuisse scelesti consilia crediderim, si ea in contritionem capitis sui desitura praeuidisset. Vertiginem improbi Spiritus non male repraesentat autor epistolae ad Philippenses, quae Ignatio a quibusdam adscripta fuit, breuitatis studio Latinis verbis eius mentem repraesentabimus. *Haec (Christi gesta) videns vertigine aestuas, & virginem esse, quae pareret, ignorabas, (quod & ipsi vero Ignatio dictum in ep. ad Ephesios.) At obstupesciebant te angelorum hymni, Magorum adoratio, stellae exortus. Ad ignorantiam tu reuerteris ob vilia. Exigua enim quaedam tibi videntur, fasciae, aerumnae, lactatus. Haec Deo indigna tibi visa sunt. Rursus videbas hominem quadraginta dies & noctes perdurare ieiunium sine humano alimentis, Angelos ministrantes, quos & horrebas, cum vidisses eum primum vt communem hominem, baptizatum, causamque ignorares. Post ieiunium vero esurientem, summa denuo audacia teutabas, tanquam communem hominem, nescius quis esset &c.* Quae certe acerbam censuram viri magni, Iacobi Vsserii, qui ignorantiam prodentis haec esse iudicauit, mereri ego quidem minime existimem. Sane ipse Vsserius non diffitetur, primis Christi annis in ignorantia mysterio-

myfteriorum Chrifti verfatum Diabolum efle: eos vero cur non liceat ad illud tempus vsque extendere, quo munere fufcepto clarius manifeflari coepit, non video, cum illuftria adeo diuinæ indolis in familia patris experimenta non dederit, vt forma ferui impediri diftincta excoecati Spiritus cognitio non Marc. III, 17. 12. poruerit. Imo pone etiam, quod non negauerim, perfonam Chrifti fenfim penitus Diabolo innotuiffe, quod produnt lamentabiles ex ore obfefforum voces: confiliorum tamen & officii peragendi rationem omnem ipfi notam fuiiffe, haut facile mihi perfuaderi patiar. Quemadmodum vero eo fenfu *abfconditum* Diabolo fuiiffe exiftimo Chriftum, vitam noftram, in hisce terris dum verfaretur: ita nunc quoque poftquam in coelis eft, *abfconditum* eum ipfi efle puto, quatenus omnem gratiæ eius difpenfationem, & arcana de fidelibus fuis confilia, atque influxus in eos gratiofi, (quo *vita* euadit eorum) omnia momenta, & modos, perfectos minime habet, atque exploratos. Videtur id mihi confequens efle eius, quod Jo. XII, 13. 1. *ἐκβληθήναι* longe remotus atque *eiectus* dicatur Satanas, qui proinde ad myftici illius commercii Chrifti atque fidelium, quo ille fit *vita* Cant. III, 4. VIII, 1. 2. fponfæ fuæ speculationem non admittitur, quæ eum in matris fuæ cubiculo deofculata fpiritum vitæ ex labiis eius ducit. Imo & illud huc referrem, quod dicit Saluator de veniente Principe mundi, *ἐν ἐμοὶ ἔχει ἑδὲν, nihil in me habet*, quid vetat enim, quo minus ei, qui absolute eiicitur, nihil in Chrifto habere cognitio quoque negetur eorum, quæ Chrifti funt, quatenus eft *vita* fidelium. Sic vero iam Chriftum ignoranti, vt vitam noftram, non poteft non *vita* noftra *abfcondita* efle atque parum explorata. Sed & alterum fenfum fi refpiciamus, quo fupra *vitam* noftram *abfconditam* efle Diabolo diximus, vt ne nocere ei poffit; fundamentum rei in eo poftitum animaduertimus 5. XVII,

mus, quod vita nostra Christus *abscondita* sit, quippe qui, post victoriam suam, ad dexteram patris collocatus, loco quasi tuto, est, ut ad eum Diabolus pertingere nequeat: Denuo ipsi non nisi in iudicio, peculiari & solenni manifestatione, manifestandus, non ut ictibus eius pateat, sed ut ad scabellum pedum eius cum omnibus hostibus ipsius ponatur.

Christus fidelibus absconditus.

1. Pet. I, 4, 8.

1. Io. III, 2.

1. Cor. XIII,

12.

XXII. Est denique *absconditus*, aliquo modo *Christus*, vita fidelium, ipsis etiam fidelibus suis in sanctuarium quippe ingressus, ubi post velum coelorum plenam eius maiestatem nobis heic degentibus contueri non licet. Certe eum *NON VI- DENTES credere.* Quem scilicet etiam in *ordinario* suo statu, nondum cognoscunt *cognitione gloriae*; Nondum *cognoscunt sicuti est*: Nondum *cognoscunt sicuti cogniti sunt.* Quod ipsum quemadmodum ad *cognitionem* *Dei* atq; *scientiae*, ita etiam ad *cognitionem affectus* siue *amoris*, qualis est beatarum istarum animarum, Christum in gloria aeterna dic & nocte sequentem, summo iure referas. In statu vero *extraordinario*, qui tentationis est, magis etiam absconditur, cuius rei egregiam figuram sponsa, quam suo carmine Salomon celebrauit, nobis suppeditat. Sed eo quae spectant, cum ex supra dictis facile sit expedire, quousque praesentis tractationis postulat ratio, nolim plura nunc addere. Hoc non praetercundum, ipsum omnino Christum vitam nostram a parte sua causam *occultationis* illius esse posse, retrahendo influxum suum ad sensum operationis gratiae suae, atque ita se abscondendo. Quod cum & castigationis, & excitationis, & probationis, & praeservationis causa a fastu spiritali aliisq; eiusmodi vitiis aliis fieri possit; Latissimus sane nobis heic dicendi aperiretur campus, Nisi vela contrahere tempus, & dissertationis Academicae modus

modus nos iuberet. Christo vero, *vita nostra*, omnibus istis modis nobis *abscondito*, fundamentum omnino obscurum esse non potest, ex quo nobis quoque *vita nostra abscondita* esse posse intelligatur.

XXIII. In Deo autem *vita nostra* cum Christo ita occulta est: quod ad *realitatem* eius supra in *ἐξήγησι* retulimus, adde & *securitatem*. Vanissima ea videatur mundo, neque ab eo agnoscatur: at apud Deum non *conspicua* tantum est, oculis eius quasi *exposita*; verum in *pretio* est etiam apud Deum, *κατακρυβισθησάντων* & *sancti depositi*, vt supra iam monitum, dignitatem apud ipsum obtinens. Abscondita autem ita *cum Christo* est *vita nostra apud Deum*, qui scilicet ad Dexteram patris eleuatus, eique proximus, *vitam nostram*, quam continet, tanquam caput, fons, & radix, continuo ei sistit atque commendat.

Abscondita  
Vita haec est  
in Deo.

XXIV. Iuvat vero, antequam hinc discedamus, *monere*, quam parum prudenter Cornelius a Lapide, explicaturus, qua ratione *vita nostra abscondita cum Christo in Deo sit*, ad anachoretas suos, atque coenobitas, & monachos, respiciat. Ita inquit S. Eleazarii Comititis Arriani, cum in monte Pessulano haereret, S. Pauli Eremitae, Hilarionis, Antonii, S. Magdalenae in Bauma, S. Mariae Aegyptiacae, vt alios longo ordine recensitos taceam, siue viros, siue feminas, *vitam absconditam* fuisse. Certe ex *statu vitae*, qui non ad *cultum* primum, sed ex *necessitate* inuentus est, *com. lures*, vt solitudines quaerent, atque deserta, persecutionum atrocitate compellente: ex *statu*, qui omnium Christianorum neque est, neque esse vel potest vel debet, quorum tamen *vitam* cum Christo *absconditam* esse oportet: qui nullum habet vel *mandatum*, vel *promissionem* diuinam: qui nullo exemplo sanctorum per trecentos

Vita Anachoretarum & coenobitarum abscondita.

fere a nato Christianismo annos nititur, quorum vita cum Christo abscondita plane diuersa ratione in Sacris atque Ecclesiasticis monumentis delineatur: qui denique vario genere superstitionum, ἰεροθεσιολογίας, & ineptorum partim, partim in potestate hominum haut positorem votorum farragine commaculatur, ex tali inquam statu, vitam cum Christo in Deo absconditam exponere velle, ab omni ratione est alienum. Quid quod plerumque tantum absit, vt qui in monasteriis vivunt, vitam illam agant cum Christo absconditam, vt potius securius in illis latebris inter varia otii atque libidinum genera se totos mundo immergant. Prolixum esset eam in rem allegare ante instauratam puriorem doctrinam & cultum effusas querelas, minus proinde suspectas. Non debent tamen memoria nostra excidere horrendae descriptiones status monastici, quas seculo XIV & sequentibus dedere Aluarus Pelagius in libro de planctu Ecclesiae, Arnoldus Villa Nouanus in Dialogo, quem cum Friderico, Arrogoniae Rege instituit, Nicolaus de Clemangis in libro de ruina & reparatione Ecclesiae, Leonardus Aretinus in libro de hypocritis, fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum inserto: neq; liber qui titulo *oneris Ecclesiae* prodiit, vt alios infinitos omittamus, hic praetereundus. Neque est quod restitutam ab eo tempore vitam monasticam quis arbitretur, contraria enim omnia experientia testatur. Nisi quod forte illis in locis, vbi Protestantium obseruationi monastica vita patet, tectius cautiusque res geratur, vitaeque agatur abscondita quidem, sed non cum Christo in Deo. Cui reine fides desit, in memoriam reuocare nobis liceat vel ea, quae in cultissima gente, inter moniales S. Clarae *de propagationibus*, & fratres ordinis S. Francisci, gesta, & prouidentia diuina, ab ipsis monialibus, obsequii illius turpis pertactis, in pu-

De provins.

blico



blieo scripto, cui titulus *factum monialium S. Clarae de Propa-*  
*gandis* orbis oculis exposita fuere. Quod si cui scriptum in  
 manibus non sit, excerpta ex eo, quae horrorem incutere pos-  
 sint, inuenit apud Petrum Iuricum *in legitimis contra Papismum* P. I, c. 29.  
 praedictis. Sed, ut finem faciam, quomodo *abscondita* illa  
 cum Christo in Deo vita esse possit hypocritarum illorum vita,  
 quae tota ad ostentationem composita est? nihil non illis ho-  
 minibus molientibus, ut apud homines sanctitatis opinionem  
 de se excitent. Verum taedet talibus pluribus inhaerere, ad  
 alia igitur progrediamur.

XXV. Hucusque dictum de *statu vitae nostrae praesenti*, Vitae fidelium  
 & quem in hoc seculo obtinet: *futurus iam* eiusdem status, al- manifestandae  
 terius qui sit seculi, paucis adhuc delineandus: *Fundamentum* fundamentum  
 eius nobis sistitur *Christus*, qui sit vita nostra, manifestatio manifestatio  
 Christi.  
 Ille nempe, qua ratione *occultus occultam* tenet *vitam nostram*,  
 eadem ratione *manifestatus* eam *manifestam* reddit, ipse scili-  
 cet qui sit vita nostra. *Manifestatio* igitur ante omnia Christi  
 adhuc aliqua expectanda. *Manifestatio* scilicet *gloriae*, ut pa-  
 zet ex eo, quod additum in textu nostro ab Apostolo fuit, de  
 nobis cum eo *in gloria manifestandis*. Haec autem haut dubie  
 est *manifestatio* eius in aduentu ad iudicium, qui perpetua scri-  
 pturarum obseruatione nobis ita delineatur, quod sit *futurus*  
 in gloria. Scilicet *uenturus est filius hominis* (in *δόξη*) in Math. XVI,  
 gloria patris sui cum angelis suis, & tunc retribuet unicuique se- 27.  
 cundum opera sua. Vnde etiam ille aduentus ad iudicium XXIV, 30.  
 ἀποκαλύψις τῆς δόξης αὐτοῦ *manifestatio gloriae eius* vocatur, & Marc. VIII, 38.  
 ἐπιφάνεια τῆς δόξης αὐτοῦ *apparitio gloriae eius*. Non aliam ita Luc. IX, 26.  
 que *manifestationem* Saluatoris ex ista Apostoli sententia expe- Tit. II, 13.  
 ctamus, quam qua *Christus* in iudicio suo manifestabitur, Dia- 1. Pet. IV, 13.  
 bolo, mundo, ipsisque *fidelibus* suis, procul habita *visibili* in ter- Tit. II, 13.  
 ris,

ris, & regno aliquo mundano, ac temporali, manifestatione. Atque in ea ipsa sententia hoc magis confirmamur: quod manifestatio Christi hęc intelligatur, qua nos *σὺν αὐτῷ Παύλῳ* cum ipso manifestari debeamus: Nostrium autem omnium sine exceptione Apostolorum & martyrum, *Παύλου*, tempori, quo Christus in tribunali suo compariturus est, referuandam scripturae testantur. OMNES scilicet nos MANIFESTARI oportet coram TRIBUNALI Christi, ut accipiat VNV S QV ISQVE praeium ejus, quod in corpore fecerit, vel boni vel mali. Non aliam igitur Apostolus non agnoscere hęc vult manifestationem Christi, quam quae pertineat ad vitam nostram manifestandam, & qua ipse, manifestatus, lux quasi futurus est (lucida enim praesentia ejus *ut fulgur*) qua nos etiam manifestati cognoscamur.

Manifestatio  
vitae fidelium  
qualis.

2. Cor. V, 10.

XXVI. Sicque adeo nos *cum eo manifestabimur*: quae manifestatio tum ut effectus iudicii, ab eo manifestato exercendi, spectari potest, cum omnino *coram tribunali ejus manifestari nos oporteat*: Tum (quam Apostolus in textu nostro *consecutionem* spectat,) ut *consequens* ipsius Christi manifestationis, cum quo, vita nostra qui sit, *ut abscondi*, ita etiam *manifestari* vitam nostram oportet. Manifestabimur autem cum illo *in gloria*, nam quemadmodum ipsa in Christo consummatam accipimus salutem & vitam; ita etiam *gloria* ipsius potimur.

3. Tim. II, 10.

Egregie Paulus propterea omnia se ferre ait propter electos, *ut & ipsi salutem nanciscantur in Christo Iesu, cum gloria aeterna*. Manifestatio autem vitae illius nostrae *in gloria*, in *consummatione vitae gratiae* perfectissima, per *influxum luminis gloriae*, in Iesu Christo iam *resurgentis*, in omnes facultates nostras: quo fit ut ita *mens nostra*, Christum, in gloria sua cum *inuendo*, amplectatur, ita consummato amore ei *inhaereat*, ut  
intime

intime cum eo unita, radios gloriae eius undiquaque, (ex ea quasi ex purissimo speculo reflexos,) spargat, ipso corpore quoque ex illorum radiorum gloriae luce participante.

XXVII. Horum vero omnium ad excitandos nos summa vis non est non potest, quemadmodum ipsum *Apostolum* excitandi animo, diuinam illam de *Morte & vita* nostra cum Christo meditationem proposuisse est manifestum. *Mortui* enim cum Christo qui sumus, non magis appetere ea possumus, quae vitae sunt, quam morte illa abiecimus, quam, vita naturali exutus, cupidus eorum esse potest, quae sibi in eo statu fervire nequeant. Si vita vero nostra est Christus, si abscondita est cum Christo in Deo, quid magis spectemus, imo quid *spiremus* nisi Christum? quid nisi superna quaeramus, ubi Christus est, vita nostra? Si *manifestationem* denique vitae nostrae cum Christo expectamus, expectatio certe ista id non efficere non poterit, ut *purgandis* nobis studeamus, quae Ioannis Apostoli est ex illa *spe* argumentatio.

XXVIII. Solatio vero nostro esse potest, mortis nostrae cum Christo felicitas, quae in *vitam* cum ipso, isto iam seculo *beatam*, desinit. Eius vero *vitae felicitas*, licet nunc quidem abscondita sit, abscondita tamen cum Christo in Deo est, ut summa eius sit securitas, neque quidquam de ea, (pone etiam nobis ipsis non omni ex parte, neque tempore omni, conspicuam esse,) sit metuendum. Sacra *vitis* est *Christus*, quae vitam nostram inter hyemis quoque tempestates continet atque tuetur. Sacrum vita nostra *apud Deum depositum* est, qui potens est, ut *nobis hoc depositum seruet*. Mox veniet tempus, quo manifestabitur *vita nostra* cum Christo *in gloria*: mox audietur tristis eorum palinodia, quibus abscondita ea haec fuerat: *Dementes hanc vitam putauimus insaniam, &*

*exitum*

Excitantia studium hominis Christiani argumenta, ex istis ducta.

1. Io. III, 3.


Argumenta consolantia.

Sap. V, 5.

Serm. CXII. de  
Temp.

*exitum inhonestum. Desinamus verbis Augustini; Hyemis tempore etiam viridis arbor aridae similis est. Venit aestas & viua radix folia producit, & impletur fructibus. Sic hyems nostra Christi occultatio est, aestas nostra Christi reuelatio. Mortui enim estis, inquit Apostolus, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Certe mortui, sed mortui specie, viui radice. Attende autem tempus futurum aestatis, quomodo sequatur & dicat: Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Eia ergo, dulcissime Deus, hoc mihi tecum pactum erit, plane moriar mihi ipsi, ut solus in me viuas: totus intra me silebo, ut tu loquaris in me: totus quiescam, ut tu solus opereris in me.*

T A N T V M.



41.

00 A 6314

56.

17

Bl. 141





DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
**MORTE ET VITA  
FIDELIVM CVM  
CHRISTO,**

EX EP. AD COLOSS. III, 3.4.



QUAM  
SVB PRAESIDIO

**DN. GOTTOFREDI OLEARII,**  
SS. THEOL. DOCT. ET P. P.

AD D. IV. NOVEMBR. A.R.S. c1813ccx.

IN AVDITORIO PAVLINO

PVBLICO EXAMINI EXPONET

RESPONDENS

**HIERONYMVVS FRIDERICVS KOLTEMANN,**

LVNAEBVRGBENSIS.

LIPSIAE, Recus. c1813ccxxiii.